



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Jaeger, Hermann Jaeger, Hermann

Bremen, 1725

urn:nbn:de:gbv:46:1-7580

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Octavae

FASCICULUS QUINTUS.



BREMEN,

Sumptibus HERMANNI JAEGERI,

Typis HERMANNI BRAUERII, MD CCXXVII.

VIRO

*Excellentissimo & eruditis-
simo*

JOHANNI
JOACHIMO
SHROEDERO,

*Historiae ecclesiasticae, An-
tiquitatum Judaicarum, & Lingg. S.
& Orientalium PROFESSORI Or-
dinario, in perincluta Academia
MARPURGENSI, ejusque Bi-
bliothecæ Curatori, meritis-
simo, famigeratissi-
moque;*

VIRO CUM VARIARUM SCIEN-
TIARUM, tum literaturae Orientali-
callentissimo, suo olim apud Mattia-
cos studiorum sodali, & de-
inceps Fautori candidissi-
mo honoratissimoque,

*Septimum hunc supra quadrage-
simum*

BIBLIOTHECAE

H V J V S

FASCICVLVM

Transmittit, & inscribit,
eūque sui, suaeque ante quinque
lustra inchoatae, neque unquam
interruptae, & porro per
annos duraturae ami-
citiae

μημεσυνον & tesseram esse discupit

EDITOR.

Quid

*Quid hic fascis exhibeat, docet sequens
syllabus.*

- I. Samuelis BATTIERII in JOHANN. Cap.
VII. vs. 21. 22. 23. Observatio p. 745.
- II. Joh. Georgii MICHAELIS de *scuto fidei*
exercitatio ad EPH. VI: 16. p. 763.
- III. Conradi MEL de lapide *Pnech* ad Es.
LIV: 11. schediasma p. 791.
- IV. *Anonymi* de *ישוע* *ישוע* s. *vulpibus Sim-*
sonis Jud. XV: 4. 5. conjectura p. 802.
- V. *Justi Mart.* GLAESENERI de GEMINO
Judaeorum MESSIA specimen Antiju-
daicum p. 810.
- VI. *Theodori* HASAEI *διακονη*, qua origo
traditionis Judaicae de *Messia*, *Josephi fi-*
lio investigatur p. 842.
- VII. J. Christ. HARENBERGII de monte, ex
quo Moses & Christus Palaestinam spe-
ctarunt Dissertatio p. 853.
- VIII. *Annae Mariae* SCHURMANNIAE ad
Sam. *Rachelium* epistola inedita p. 875.
- IX. Elogium Philippi OUZEELII, Theo-
logi Francofurtensis propter Oderam
p. 900.
- X. Fr. BURMANNI F. Hadr. RELANDI &
C. VITRINGAE epistolae ad Ouzeelium,
qua eorum de *accentuatione Ebraeorum* sen-
tentiae exhibentur p. 918.
- XI. A. M. GORINGII testimoniorum de *Jo-*
hanna Papissa Romae editorum quaternio
p. 926.
- XII. Jo. Fr. STADENII vocis Germanicae
obsoletae *Sinwel* explicatio p. 938



I.

בעזרת אל שדי אשר שמו יהוה:

SAMUELIS BATTIERII,

Med. Doct. & Gr. L. Pr.

Basileensis,

Observatio

In JOHANN. Cap. VII:

21, 22, 23.

Quid alii de isto D. Johannis loco
 senserint ut examinem non mul-
 tum laboris mihi sumam; occu-
 pabor tantum, ut quæ mea sit de
 ipso sententia, & qua ratione ipsi-
 us verba scribi atque intelligi debere existi-
 mem, brevibus ostendam. Sic futurum esse
 spero, ut & explanationes ab aliis hæctenus
 isti loco adhibitæ, quantum momenti ha-
 beant, liquido deprehendi possit, & locum
 ipsum sua, quam is visus erat habere, diffi-
 Class. VIII. Fasc. V. Ccc cul-

cultate liberatum esse, qui mentem suam præjudiciis non occæcarunt, omnes facile cognoscant. Primum itaque dico, quod τὸ θαυμάζετε v. 21. nequaquam a sequentibus, διὰ τοῦτο, quæ versiculum 22. incipiunt, interposito puncto separandum sit; Cum ista potius cum illo sic conjungi debeant, ut puncto post ipsa posito vocabulum, Μωσῆς, novam demum sententiam incipiat. (a) Indicavit quidem istam locum hunc scribendi rationem olim jam Beza, in ea tamen nequaquam permansit, sed, quod & alii fecerunt, vulgatam lectionem ex Hebræorum idiomate conatus fuit defendere. Per vero mirum mihi videtur quoddam, quod Doctissimi Viri sæpe longius remota petere, quam propioribus & obviis uti malint. Per distortas hinc & obliquatas explicationes ista, διὰ τοῦτο, quidam ex Hebræo Sermone mire tracta τῷ, Μωσῆς, adaptare conantur potius, quam simplicem aliquam & ante oculos omnium positam directamque rationem sequuti agnoscere volunt, per errorem illa a τῷ, θαυμάζετε, fuisse separata. Cognita

pro.
 (a) Atque huic sententiæ non possum non suffragari, quæ & aliis non infimæ cavæ Doctoribus, inque iis etiam Theophylacto jam pridem arrisit. Vide, quæ in hunc locum nuper summi Viri Wolfius & Lampius notarunt. Neque facile quisquam, qui recentem admodum conmatum versiculorumque Nov. T. distinctionis ætatem meminert, habebit quid solidi, quod contra eam afferat, T. H.

perfecto res est, & apud omnes pervulgata, quod ex male positis distinctionum notulis innumeri passim in Antiquis Authoribus orti fuerint errores. Cum itaque vocabula, *διὰ τοῦτο* tum in D. Johannis Evangelio, tum in aliis Novi Testamenti libris non raro sententiam incipiant, facile fieri potuit, ut illa in nostro loco a *τῷ Ἰαυμάζετι*, per interpositum punctum avulsa, cum sequenti, *Μωϋῆς*, jungerentur. Et certe quomocunque locus consideretur, nihil inveniri quicquam potest, quod istorum, *διὰ τῆτο*, conjunctionem cum *τῷ Μωϋῆς*, requirat, aut ipsam apte isti loco, congruenterque factam ostendat. Quod autem ea potius cum *τῷ Ἰαυμάζετι* jungi debeant, non adeo difficulter deprehendi potest, si recte quis locum animo suo contueatur. Inter omnes quod sciam, constat, quod in proposito nobis loco Dominus de miraculo ad piscinam Bethesda facto loquatur. Itaque Salvator cum Judæorum incredibilem perversitatem qua depravati isti Jesum non ut debuissent propter opus illud admirabile suspiciebant, nec in illo divinam plane virtutem venerabantur, sed contra magis ipsum, quod illud in die Sabbathi fecisset, sicque Mosis legem violasset, tanquam detestabilem quendam hominem horrentes indignum prorsus qui viveret habebant, castigare vellet, non potuit ita simpliciter tantum dicere : *unum opus*

feci, & omnes miramini : ita de præfenti dicens miramini : cum opus ipsum ante aliquot saltem dies jam esset factum. Non enim Judæi sic, non sane statim quid JESUS significatum vellet, cognoscere potuissent. Plures aliquot jam dies, ex quo factum fuit illud miraculum, effluerunt, ut necesse fuerit distinctius Judæorum perversitatem refricare. Judæi profecto non, ut vere loquar, ipsum Salvatoris factum mirati fuerunt : alias divinam illam virtutem, a qua profectum illud fuit, pro eo ac dignum fuisset suspexissent. Mirati fuerunt illi Jesum ipsum : mirati fuerunt ipsum, sicut alias apud Lucam c. V. 21. cum is paralyticum illum sanasset : *Quis est iste qui loquitur blasphemias ?* sicut Phariseus ille apud Luc. c. VII. 39. *Iste, si esset Propheta, cognosceret, quæ qualisque mulier sit, quæ tangit ipsum, quoniam peccatrix est :* Mirati fuerunt, quod is, qui a multis magnus quidam Propheta & populi Doctor habetur, ita per nefarium scelus, ut scelerati illi cogitabant, Sabbathum profanasset. Sicque mirati fuerunt JESUM propter illud ipsum opus, quod is Sabbathi die fecit ; ut necessaria ista JESUS, & naturali designatione significanter expressisse Judæis sit existimandus, de quonam opere loqueretur, videlicet illo ipso propter quod vehementer exacerbati, tantum etiam adhuc tum ipsi succenserent :
unum opus feci, & omnes miramini propter istud.

istud : & omnes me loco Doctoris & Prophetæ profanum quendam Sabbathi violatorem, & sacratissimæ legis Mosaicæ everso-rem habetis. Ut sic quoque pateat, quod verbum, θαυμάζειν, in nostro loco neutiquam simplicem admirationis commotionem, sed simul omnem quæ in animis Judæorum ex illa oriebatur, perturbationem significet. Similem istius verbi, θαυμάζειν, usum Isaacus Casaubonus observavit Comment. in Theophr. Charact. c. VI.

Istam vero sententiam ea quoque quæ in antecedenti v. 19. dicuntur confirmant; Dominus enim jam in isto versu magnam Judæorum obduratamque dementiam, quam in ipsum propter sanationem illam conceperunt, apertius coarguere, summamque suam in facto isto conservatam integritatem & innocentiam probare aggreditur: ut omnis ista argumentatio, qua Salvator illatam sibi criminationem a se depellit, fundamento isto nitatur. Vim autem istius argumentationis non ante propius excutiam, quam de vocabulo, ὄλον, quod in v. 23 extat, quid sentiam dixerō. Nunc tantum indico, quod Dominus cum quærit hic, τί με ζητεῖτε ἀποκτείναι; jam in illud sanationis opus, de quo v. 21 apertius dicit, intendat; Verus enim cordium scrutator, omniumque cogitationum & affectuum qui Judæorum animos occupabant cognitor existens, acriter ipsos his

verbis reprehendit, & quodammodo com-
 monet, ut attendant quæ causa fit cur ipsum
 interficere cupiant? ut attendant, quod sin-
 gularis illa beneficentia, quam in miserum
 aliquem hominem exercuisset, fecerit, ut
 tam infesto ipsum odio prosequerentur: τί
 i. e. διὰ τί, με ζητεῖτε ἀποκτείνειν; *Cur me qua-
 ritis occidere?* Cum autem ista veritatis duri-
 tate Judæorum animi vehementius irritaren-
 tur, ut ex v. 20. manifestum est, mollius is
 ipsum illud v. 21. exprimit, & directa ora-
 tione declarat id quod v. 19. tectius indica-
 vit: ἐν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θανατίζετε διὰ
 τοῦτο. Quod Evangelista jam c. V. v. 16 in-
 dicavit, quando de eodem opere memorat:
 καὶ διὰ τοῦτο ἐδίωκον τὸν Ἰησοῦν &c. *Ac propter-
 ea persequebantur Jesum Judæi, & studebant
 ipsum interimere, quod ista faciebat in Sabbatho.*
 Ut autem ad id quod pollicitus sum acce-
 dam, dico vocem illam, ὅλον, in v. 23. locum
 nequaquam habere posse: quæ vero me
 moveant cur ita statuam, hæc sunt. Primum
 neutiquam existimari debet, quod Christus,
 ὅλον ἄνθρωπον, totum hominem, sanum fecisse
 dixerit, ut ad duas principes illas hominem
 componentes partes, mentem nimirum at-
 que corpus, respiceret: quod videlicet ipse
 non tantum illius ægroti corpus omni, qua
 laborabat, ægritudine liberavit, sed mentem
 etiam salutifera medicatione sua sanaverit.
 Certum enim est, quod Salvator cum Ju-
 daeis

dæis hic loquens solum illud opus suum indi-
 care potuerit, propter quod illi tam infestas
 in ipsum iras conceperunt. Irasebantur
 autem Domino Judæi propter solam in cor-
 pore illius ægri factam sanationem, nec de
 medicina quæ menti potuit præstari quic-
 quam cogitarunt; cum carnales isti & le-
 thaliter ipsi suis animis ægrotantes nullam
 omnino de spirituali mentis sanatione no-
 tionem haberent. Deinde quod Christus
 ita loquutus fuerit, habito respectu dun-
 taxat ad corpus, qui quæso dici possit, cum
 historia, quam de ægro nostro caput quin-
 tum Evangelistæ describit, nihil hujusmodi
 nobis tradat, unde totum illius corpus sana-
 tum fuisse colligatur? Quæcunque corpo-
 ris humani viventis pars tum sane morbo
 quodam teneri dicitur, cum per ipsam a-
 ctiones, ad quas exercendas constituta est,
 fieri minus possunt. Quod autem actiones
 non pauca per varias illius ægri partes recte
 fuerint exercitæ ex ipsius Evangelistæ nar-
 ratione manifestum est. Sensus certe au-
 diendi recte pollebat, & ipsius etiam lingua
 ad suum munus fungendum probe fuit affe-
 cta. Ut jam de partibus illis, quibus vitalis
 spiritus perpetim ducitur, aliisque nihil di-
 cam. Quantumcunque igitur graviter pa-
 ralysis illius ægroti membra cætera solvise
 ponatur, ponitur enim vulgo, miserum il-
 lum tali morbo fuisse affectum, recte tamen,

ὅλον ἀνθρώπον, totum hominem, sic sanum fuisse factum dici nequaquam potest. Democritus profecto aliter plane, quamvis indefinite dixit quod in Evangelio singulariter dicitur, voces istas accepit, quando, ut Hippocrates testatur in Epistola ad Damagetum, questus fuit: ὅλον ἀνθρώπον ἐκ γενετῆς νόσος ἐστίν, totus homo ex nativitate morbus est. Nulla enim earum omnium, quæ universum corporis humani systema constituunt, partium est, quin singulis momentis varie mutetur, & ab illo statu, qui sanitatem efficit, semper discedat, sicque ipsum morbum, ex quo per omnem vitam ipsa perpetuam sanitatis suæ restitutionem debita nutritione accipere debeat, patiatur.

Quæ cum ita sint fidenter affirmo, quod inepte (b) prorsus in loco nostro sit positum ὅλον istud ab Evangelista nequaquam scriptum fuerit, & proinde in ejus locum aliud quoddam vocabulum, ex quo corruptum illud fuerit, reponi debeat. Verum ne trepida, quæso te, desine aliquam majorem mutationem hic reformidare: vix unius literulæ levissima commutatione audacter pro illo, ὅλον scribe χολόν, ut legatur: ἐμοί

(b) Fuerunt tamen viri literatissimi qui sine ineptiis ^{χολ-} locum illum ita legi posse existimarunt. Vide Jo. STENGELII eruditam in illum commentationem in ipsa hac Bibliotheca T. VI. fasc. V. diss. 5. Haec autem mutatio τῆς ὀλῆς in χολόν ut eleganter inventa, & erudite proposita est, ita vellem vel unius codicis bonæ notæ autoritate munitam esse. T. d. H.

χολᾶπ, ὃ π χωλὸν ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαβ-
 βῆτω; *mihine irascimini, quod claudum homi-*
nem sanum feci in Sabbatho? Quod autem
 æger ille, χωλός, *claudus*, fuerit, non vero,
 παραλελυμένος, *Paralyticus*, ut vulgo fingi-
 tur, præterquam quod aperte satis istud ab
 ipso sacro scriptore memoratum hic
 esse maxime sit credibile, colligi potest ex
 eo, quod inter ægrotos cap. V: 3. qui in
 porticibus illius piscinæ decumbabant, ex-
 presse χωλὸι, *claudi*, non vero *Paralytici*,
 memorentur. Deinde quod ægrotus noster
 nequaquam ab Apostolo v. 7. omni suorum
 artuum robore caruisse, contra vero qua-
 dam adhuc corpus suum transferendi virtu-
 te præditus fuisse tradatur. Ipsemet sane
 cum de sua tristi calamitate querimoniam
 ad Dominum Jesum dolenter deploraret,
 ostendit, quod incessu aliquo quamvis im-
 pedito lentoque sui corporis polleret: &
 potissimum questus fuit quod adeo nemi-
 nem hominem haberet, qui adjumentum ali-
 quod, ut in piscinam descendere prom-
 ptius posset, ipsi præstaret, ἄνθρωπον ἔκ ἐχῶ
 ἰνα &c. *neminem habeo, qui cum turbata fuerit*
aqua, mittat me in piscinam. dum autem ego
venio, alius ante me descendit. Sic de aliis etiam
 claudis legimus, quod ipsi ad Jesum acces-
 serint, Matth. XXI: 14.

Istud auem nequaquam silentio præter-
 mittendum est, quod inter tot illas narra-
 tiones, quas Evangelistæ de miraculis Do-

mini singulariter fecerunt, nulla prorsus futura sit, quæ per suas quasdam circumstantias restitutionem alicujus claudi distincte commemoret, si miserum illum ad Bethesda sanum factum ullo modo claudum fuisse negetur. Leviter quidem & generatim claudorum cum aliis ægris à Domino sanatorum facta mentio Matth. XV: 30. & XXI: 14. reperitur. Si vero rem istam accuratius animo nostro perpendimus: si consideramus, quod Esaias Propheta inter virtutes quas in adventu suo Salvator esset exhibiturus, peculiariter quoque *Claudorum* sanationem ponat, cap. XXXV: 6. καὶ αἰλεῖται ὡς εἰλαφὸς ἕχλωδός, & *saliet claudus velut cervus*: si videmus in Evangelio Matth. XI: 5. memoratum, quod ipse Jesus cum Johanni Baptistæ per Discipulos suos ex carcere percontanti *quis esset* responderet, nominatim etiam, *claudos indicarit*, illique *quod χωλοὶ περιπατοῦσι, claudi ambulant*, veri profecto simile nobis, nequaquam videtur, quod ita nullus Evangelistarum a Spiritu Sancto fuerit excitatus, ut unius saltem de tot claudis in integrum a Jesu restitutis historiam exactius narratam nobis relinqueret. Quæ certe omnia faciunt, ut de lectionis istius qua, *χωλὸν*, pro pristino illo *ἕλον*, reponendum esse doceo, veritate minus existimari debeat ullam omnino reliquam esse dubitationem.

Si quis autem agrum nostrum non *claudum*

dum fuisse, sed *Paralyticum* existimat ex eo sequi, quod Sanctissimus Salvator in ipsius sanatione talia plane verba, quibus alias in *Paralytico* sanando fuerit usus, adhibuerit, & simul mentionem *grabati* fecerit, vehementer fallitur. Dixit equidem Dominus c. V. v. 8. *ἐγείραι, ἄρᾳ τὸν κρεῖσσάτον καὶ περπατήσει*, surge, tolle grabatum & ambula, simili plane modo, quo alias loquutus fuit ad *Paralyticum* Marc. II. Luc. V. Matth. IX. Sed nihil inde quicquam confici potest, ut illi magis *Paralyticus*, quam alio quovis morbo debilitatus fuisse judicetur. Nimis profecto multis ægrotantibus aliis semper necesse est in lectulis, grabatisque decumbere, ut *Paralyticum* esse quendam conjici nequaquam possit ex eo quod ægrum corpus suum quis in lectulo positum habeat. Sic Marc. VI: 15. omni morborum discrimine remoto *diversi ægrotantes in grabatis* decumbentes ad Jesum circumlati memorantur. Sic Act. V: 5. *ægros qualescunque in lectis grabatisque* positos, & in publicas plateas elatos, ut umbra saltem venientis Petri quendam ipsorum opacaret, legimus. Quæ vero cuiquam possit esse dubitatio, quin missellus noster quamvis minime *Paralyticus*, tenuem quendam cui incumberet haberit lectum? Cum imprimis ad piscinam dies & noctes aquæ motionem cum cæteris ægrotantibus expectare cogeretur. Hinc & Apostolus de omnibus illis universim loquens

quens c. V: 3. eam adhibet vocem, κατὰ κεί-
 θαι quæ non tantum de Paralytico, ut de
 Aenea Act. IX: 33. sed & de quocunque
 ægroto, ut de Petri focru febricitante Marc.
 I: 30. usurpata legitur, ut prorsus existi-
 mari debeat, illos omnes ægros suis gra-
 batis quibus incumberent fuisse instructos.
 Quod autē, ut leviter quidem & istud tangam,
 ægrotus noster ita per triginta & octo an-
 nos exspectavit, quæ multorum est opinio,
 mihi nullo modo verisimile videtur: Cum
 tempus ab Evangelista designatum Joh. V:
 v. 5. ita tantum accipi debere putem ut
 illud a voce, ἐκεῖ, omnino distinguendum
 quamdiu cum infirmitate sua conflictatus,
 nequaquam vero quamdiu ad Bethesda com-
 moratus æger ille fuerit, nobis significet,
 Quod ad cætera verba, quibus Salvator in
 sanando ægro nostro usus fuit, attinet, ἐγει-
 ραι καὶ περιπάτει, surge & ambula, depre-
 hendimus, quod eadem quoque simili pla-
 ne modo ad claudos in sacris scriptis fue-
 rint dicta. D. Petrus certe Virum illum, qui
 Act. III: 2. χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ clau-
 dus ex utero matris suæ, dicitur, quemque
 portantes quotidie ponebant ad portam templi
 ut eleemosynam peteret, similiter allocutus sa-
 navit v. 6. ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ Ναζω-
 ραίου ἐγειραι καὶ περιπάτει, in nomine Jesu Chri-
 sti Nazaraei surge & ambula. Et vir ille Ly-
 strensis qui Act. XIV: 8, ἀδυνατοῦ τοῖς ποσίν,
 pedibus uti non poterat, & χωλὸς ἐκ κοιλίας μη-
 τρὸς

πρὸς αὐτοῦ, *claudus ex utero matris sua fuerat,*
 ὅς ἔδεδετοτε περιπεπατῆκει, qui nunquamambu-
 laverat, per D. Paulum similia proloquutum su-
 am recuperavit integritatem: ib. v. 10. ἀνάστηθι
 ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὁρθός, surge in pedes tuos
erectus: post quæ verba quoque claudus il-
 le, καὶ ἤδεδετο καὶ περιπατεῖ & saliebat & am-
 bulabat. Quin etiam ipsum istud, περιπα-
 τεῖν, de χωλοῖς *claudis*, per miraculum sani-
 tatem assequutis, peculiariter ipse Salvator
 Matth. XI: 5. adhibuit: & Matth. XV: 31.
 turbas fuisse miratas quod viderent, χωλὸς
 περιπατεῖντας *claudos ambulantes*, Evangelista
 memorat.

Ex istis omnibus quæ hæcenus in medi-
 um prolata sunt patere potest, quod in allega-
 tis locis Scriptores Sacri voce χωλός (c)
claudus, non talem quendam significant,
 qui modicam saltem a quacunq; pedis depra-
 vatione factam incedendi difficultatem quan-
 dam patitur, quale vitium ab Ovidio in
 Elegiaco carmine per prosopopoeiam repræ-
 sentat Trist. L. III. El. I. v. 11.

*Clauda quod alterno subsidunt carmina versu,
 Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.*

Sed

(c) χωλός Atticis non solum pedibus, sed & manu
 mutilatum denotabat. Id docet Schol. Ari-
 stoph. in Ἰππ. ad vs. 1083. Κύκλους δ' Ἀττικοὺς
 καλῶσιν ἐπὶ ποδῶν, καὶ χειρῶν ὁμοίως, καὶ χυ-
 λὸς τὰς τὴν χειρὸς πεπηρωμένους. Εὐπολὶς. Ὅτι
 χωλὸς εἰς τὴν χειρὸς σφοδρὰ. Gemina his idem
 habet ad, ὄρν. vs. 1379. T. d. H.

Sed illum imprimis qui graviore aliqua in alterutro vel & utroque pede facta læsione indeque coorta motus tum imbecillitate tum impotentia sit affectus : id quod etiam manifestum apparet ex Matth. XVIII: 8. & Marc. IX: 45. ubi *χωλός*, *claudus*, etiam ille dicitur, cui pedum alteruter per amputationem ablatus. Istum hujus vocabuli significatum indicat quoque nobis Eustathius ad Iliad. L. II. p. 116. Edit. Basil. his verbis.

*ἐπι πλεον γάρ πως τὸ χωλὸν τῷ κυλῶ, κυλὸς μὲν γάρ, ὁ τῶν κούρια βλαβεῖς ἐκ γενεῆς. χωλὸς δὲ κοινῶς καὶ ὁ ὑπερον ἐκ πληγῆς, ἢ ἄλλως πως ἐξ ἀρπίσεως παθὼν κυλῶμα, plus enim aliquo modo χωλὸν, quam κυλὸν: nam κυλὸς ille quidem est, qui in partibus primariis ex nativitate læsus est: χωλὸς autem communiter etiam ille qui postea ex ætate, vel alio quodam modo ex integritate gravem aliquem in corpore defectum est passus, sic quoque vocem, *claudus*, a Latinis usurpatam fuisse notamus: Horatius eam de illo dixit qui crus fregit lib. I. Epist. XVII. v. 58.*

Credite, non ludo, crudeles, tollite claudum.
 & Virg. Æn. l. v. 278. de serpente, quem aut transiens rota currus læserit, aut viator saxo percussum seminecem lacerumque reliquerit, usurpat, atque cum illo navem Sergesti graviter amisso remorum ordine debilitatam, plurimumque in perficiendo cursu suo impeditam confert:

- - - pars vulnere clauda retentae

Nexantem nodos. - -

Livius quoque Histor. lib. XXXVII. cap. XXIV. naves quæ deterfo remigio vehementer vulneratae remulco trahi necesse habuerunt, *claudas mutilasque* dixit.

Sed ut opinor quæ huc usque dicta sunt, satis superque docent, qua ratione loci propositi lectio tum ordinari, tum ex antiquissimo mendo in pristinam integritatem restitui debeat: reliquum est, ut jam paucis ad huc ipsam argumentationem qua Judæos Dominus confundit, illiusque virtutem explicare coner. Quæ sane res minus jam difficulter fieri potest, cum omnis difficultas, quam olim loco illud vocabulum, ὄλον, afferebat, sublata sit. Arguit itaque Salvator Judæos sequentem in modum. Vos summam in me suscepistis indignationem, & adeo tantam, ut etiam morte me tanquam aliquem vita prorsus indignum afficere velitis: & quidem ob istam causam, quod Mosis præceptum de Sabbatho ea qua docet veneratione non observem, Joh. V:16. nec ipsum Mosen, in quem tamen vos speratis, ib. v. 45. satis digne reverear. Sed vehementer vobis cavendum est, ne ipsi vos Mosis minus obtemperantes, & nullam illi fidem habentes deprehendami, ibid. 45, 46. Do sane vobis Mosen quidem ipsum maximi faciendum, ejusque de Sabbatho præceptum
omni

omni debita reverentia cultuque sancte observandum esse; sed obsecro vos, solumne vobis ille præceptum istud de Sabbatho dedit? Nonne *totam* ille vobis *Legem* dedit? Joh. VII. 19. Ὁ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον; Cur legem istam ipsi vos non observatis? Quod vero Legem ipsi non observetis non longe mihi petenda probatio est. Attendite vos ipsi quæso quæ causa sit, cur me Sabbathi violatorem habeatis, cur mihi graviter ita succenseatis, cur me quærat interficere? τί με ζητεῖτε ἀποκτείνειν; Quia miserum illum hominem ad Bethesda in Sabbatho ab infirmitate sua, cum qua longum adeo tempus infeliciter fuit conflictatus, liberavi, acerbis me odiis vestris infesti prosequimini. Itane vobis hæc justa videtur esse causa, cur in me sitis ita prave animati? Considerate vero cum animis vestris quæ vobis alia Moses præcepta tradiderit: Exod. XXIII. 5. *Si videris asinum osoris tui succumbentem oneri suo, dum abstines a deponendo onere illius, omnino deponito cum eo onus.* Et Deut. XV. 7. *Si fuerit apud te egenus quispiam e fratribus tuis intra aliquam e portis tuis in terra tua, quam JEHOVA DEUS tuus dat tibi, non obfirmato animum tuum, neque occludito manum tuam adversus fratrem tuum, qui egens sit. Sed liberaliter aperito manum tuam ei, & liberaliter mutuato ei quantum satis est indigentia ejus, id ejus indiget, & Levit. XIX. 18. Diliges proximum*

proximum tuum sicut te. Nonne Moses hæc in lege præcepit omnia? Nonne Mosis hæc præcepta diligenter quoque sunt observanda? Nonne miser ille quem sanum feci gravissimo oneri suo succubuisse, non in egestate summa fuisse vobis videtur? Quis usquam molestiori onere prematur, quam ille quem difficilima diuturni morbi calamitas urgeat? cujus vita miserabili egestate sit afflicta, quam quæ multos annos omnibus bonæ valetudinis commodis careat? Nullumne humanitatis officium vel amoris opus in ipsum, tanquam proximum, erat conferendum? Audio quidem vos mihi dicentes, ista non in Sabbatho, sed alio quovis tempore fieri debuisse. Verumtamen in ipso Sabbathi die puerulum quoque circumcidere soletis, Joh. VII: 22. 23. quoniam lege Mosis jussum est, ut octavo die puer circumcideretur, nec eapropter quisquam ex vobis existimat Sabbathum profanari: *quanquam circumcisio non ab ipso Mose, sed a patribus est.* Cur non & illud Mosis præceptum, quo vult ut proximo nostro beneficiamus, locum aliquem habeat in Sabbatho? cur ita mihi succensetis, quod Mosis de diligendo proximo præceptum observans, *claudum hominem* in Sabbatho sanum feci? Ex quibus profecto manifestum est, quod tota argumentatio, qua Salvator ad refellendam Judæorum importunitatem in nostro Johannis loco fuit

usus, eo tantum spectavit, ut omnibus in-
 dicaret, quod observatio Sabbathi nequa-
 quam amorem proximi tollere debeat, quod-
 que licitum semper sit, etiam diebus Sab-
 bathi, opera charitatis exercere: cum non
 tantum istius diei institutio, sed etiam reliqua
 lex omnis in bonum salutemque hominis solius
 posita fuerit. Et huc quoque semper spe-
 ctasse Jesum observamus, quando Judæo-
 rum perversitatem illam, qua Sabbathi ob-
 servationi omnem proximi charitatem post-
 habuerunt, alias confutavit: ut Matth. XII:
 10. 11. 12. Marc. III: 4. Luc. XIII: 15. 16.
 XIV: 5. ut sic sanctissimus iste hominum
 Amator *Legem illam regiam*, Jac. II: 8. νόμον
 βασιλικόν, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυ-
 τόν, maxime semper observan-
 dam esse doceret.

JOH. GEORGII MI-
CHÆLIS,

De
SCUTO FIDEI,
exercitatio.

ad illustrationem Eph. VI. 16.

ARGUMENTUM.

§. I. Βελας esse generalioris significationis & notare quaecumque armorum genus, quod emittitur §. 2. Proponitur sententia Jo. Arrovsmith. §. 3. Veteres tela veneno tinxisse, eamque artem maxime inter Scythas viguisse §. 4. Sed apostolum ad tela venenata minus respicere, §. 5. nequo ad glandes plumbeas, quæ motu ipso ardescant & distillent. §. 6. Sed potius ad falaricas, quæ quales fuerint, ex Servio, Livio & Vegetio describuntur. §. 7. Quæ de iis passim ab auctoribus traduntur, cum phrasi Paullina conflaguntur. §. 8. Unde scuta compacta, & quæ illorum forma fuerit. §. 9. Nomina Ebraica מַגָּן & קַוָּץ evolvuntur &, quæ utriusque forma fuerit, docetur. §. 10. Verbis ap. non tam generatim ad diaboli tentationes, quam quidem speciatim ad philosophorum imprimisque Apollonii Tyanaei fraudes respici. §. 11. Confirmatur illud (I) ex similitudine phraseos. §. 12. (II) Ex circumstantia temporis §. 13. (III.) Ex Statu ecclesiæ Ephesinæ, ubi Apollonius maxime clarus erat, in cujus ætatem & res gestas inquiritur. §. 14.

(IV) Ex AG. XX. 29. 30. Apoc. II. 2. §. 15. (V.)
 Ex connexionione. §. 16. Quodnam remedium fides
 adversus illas tentationes præstet. §. 17. Quare apo-
 stolus scutum fidei medio loco inter armaturam
 spiritualem ponat & illud ante omnia adsciscendum
 esse moneat. §. 18. Scutis militaribus nomen impe-
 ratoris, cohortis & ipsius militis inscribebatur, quod
 ad scutum fidei transfertur.

§. 1.

PAnoplia illa, quam Ap. tanto commen-
 dat opere Ephesius, respici ad arma-
 turam militarem, qua se adversus
 hostes tutos præstant milites, nemi-
 ni dubium esse potest. In quod au-
 tem armorum genus heic proprie digitus
 intendatur, inter philologos non omnino
 constat. Vox *βελος* generalioris est signi-
 ficationis & notat *omne armorum genus, quod
 vel arcu vel manu eminus emittitur*; inde He-
 sychius interpretatur: *μαχαιρα, τραυμα, ανις
 και NB. παν το βαλλομενον.* Quo significatu
 quam proxime cum *telo* convenit, quod in-
 terprete Servio ad Aen. L. II. V. 468. *secun-
 dum graecam interpretationem dicitur απο το
 τηλοθεν*, i. e. *quidquid longe jaci potest: quam-
 quam*, addit, *legimus de gladio.* Idem docet
 Festus de verb. signif. p. 463. *tela proprie dici
 videntur ea, quæ missilia sunt: ex graeco vide-
 licet eorum nomine, quia illi τηλοθεν missa, quæ
 nos eminus.* Syrus vertit *ασιοι* & quæ vox
 Syris qualemcunque *sagittam, jaculum*, desi-
 gnat

gnat, oriunda a רר traxit, quod attra-
ctu arcus & nervorum sagittæ emittun-
tur.

§. 2. Quæ licet in aprico sint posita, non ta-
men omnino liquet, quod jaculi genus per
 $\beta\epsilon\lambda\eta \pi\epsilon\pi\upsilon\epsilon\omega\mu\epsilon\tau\epsilon\upsilon\alpha$ apud apostolum sit intelli-
gendum. Doct. Anglus *Arrowsmith* Tact.
sacr. L. II. c. VIII. §. 2. p. 170. Pauli sermo-
nem ad commodari existimat, vel ad hastilia,
urentia, vel ad sagittas veneno tinctas, quæ
simul ac vulnerant, incendant præ ardore toxicæ
totum ilico corpus permeante. De eo vero quid
sit sentiendum, in sqq. dispiciemus, ac ra-
tionibus, si non invictis, tamen ad veri-
tatem proxime accedentibus & verisimilibus
confirmabimus.

§. 3. Tela veteres veneno tingere solitos,
idque ea de causa fecisse, quo venenum
corpore exceptum, per totam sanguinis
massam momenti spatio diffusum, mortem
eo citius & certius efficeret, ex illis *Ovidii*
constat:

*Dumque senex tractat squalentia tela vene-
nis;*

Excidit & levo fixa sagitta pede est.

*Fast. L. V. v. 397. 398. Hinc paucis inter-
jectis pergit:*

*Virus edax superabat opem: penitusque re-
cepta*

Offibus, & toto corpore pestis erat.

v. 403, 404. Ab hac arte ungenti tela venenis commendat *Virgilius Amyclum*:

quo non felicius alter

Ungere tela manu, ferumque armare veneno.
Aen. L. XIX. v. 772. 773. Ad quem locum *Servius* notat, *armabat ferrum, quo nos armari consuevimus, ut ex venenato ferro vehementius & perniciosius vulnus sit.* Quod venenum unde sit paratum, ex *Scytharum* consuetudinibus exponit *Aristoteles* περὶ θανμάσ. ακκσμ.

Opp. T. I. p. m. 1105. ed. a. 1597. in 8. Φάσι το Σκυθικόν; Φαρμάκον, ὡ ἀπὸ βαπίεσι τῆς οἴστῃς συνπιθεῖσθαι ἐξ ἐχιδνῆς, τῆρασι δὲ, ὡς εἴοικεν, εἰ Σκυθαὶ τὰς ἡδὴ ζωοτοκῆσας καὶ λαβόντες αὐτὰς, τῆρασιν ἡμέρας πῶας. ὅταν δὲ ἰκανῶς αὐτοῖς δοκῆσῃ φθῆσθαι παν, τὸ τε ἀνδρωπῆ εἰς χυλεῖδιον ἐκχεόντες, εἰς τῆς κοπελῆς κατορυκτῆσι πωμασῶντες ὅταν δὲ καὶ τῆτο σαπη, τὸ ὑφισταμένον τῆ ρευματῆς, ὃ δὴ ἐστὶν ὑδατωδῆς, μιγνύσασθαι τῶ τῆς ἐχιδνῆς ἰχῶρα, καὶ ἄτω ποῖσσι θανάσιμον. *Cujus vestigia pressisse videtur Plinius H. N. L. XI. cap. XLIII. f. 269. edit. Dalecamp. Scytha, inquit, sagittas tingunt viperina sanie & humano sanguine: irremedicabile id scelus, mortem ilico adfert levitactu.*

Quæ caussa est sine dubio, quare *Ovidius* *Getis, Dacis, aliisque finitimis populis, hominibus feris & truculentis Scytharum* profapia oriundis, tela veneno tincta frequentius attribuat:

Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:

Nam volucris ferro tinctile virus inest.

Trist.

Trist. L. III. el. X. v. 63. 64.

*Hostis habens arcus, imbutaque tela veneno,
Sevus anhelanti moenia lustrat equo.*

Trist. l. IV. el. IV. 77. 78. Feritatem Sarmaticæ, Geticæque gentis, in cujus confiniis, urbs Tomitana sita erat, quo ipse ab irato Augusto exulatum erat missus, descripturus canit:

*In quibus est nemo, qui non coryton & arcum,
Telaque vipereo lurida fella gerit.*

Trist. L. V. el. VII. v. 15. 16. conf. ep. Pont. l. I. ep. II. v. 18. l. III. ep. I. v. 26. l. IV. ep. VII. v. 11. 12.

§. 4. Quæ licet ita sint, animi tamen pendeo, num eo respexerit apostolus, cum tela veneno illita, non proprie, sed *improprie* βελι πεπυρωμενα dici possint, ob effectum sc. quem in corpore humano edunt; quandoquidem veneno visceribus hausto & concepto, massa sanguinea insigniter turbatur & ebullire incipit. Idcirco etiam *Lycophron* Alex. v. 309. 310. amoris flammæ telis ignitis adsimilat:

*Ὅς τ' ἀγελὸν δρακόντα πυρφορῶ βαλῶν
ἰγγι τοξῶν.*

Ad quæ verba *Tzetzes* commentatur, ἀίπτα NB. πυρφορῶ βελι quæ cum apostoli εἰσοπάρια faciunt. Ad hæc notandum est, tela venenata vim suam non exerere prius, quam in pectus fuerint adacta & effectum mortem sc. inevitabilem sortiri; fides autem munit

cor hominis, quo minus diabolus suggestiones suas intromittat, saltem spe sua excidat & frustretur.

§. 5. Si quod igitur telorum genus datur, quod ignem ipso opere corpori intulerit, ad illud apost. nostrum sermonem suum convertisse, haut oscitanter dixerim. Quam difficultatem cum animo providisset illustr. Grotius, ad glandes, a funditoribus mitti solitas, quæ ipso motu ardescerent, heic respici indicat. Notum est, lapides funda antiquitus projecisse, quam brachio circa caput rotabant, quo ictus eo validior & perniciosior esset. Funditores enim, inquit, Vegetius de re mil. l. III. c. XIV. p. m. 101. sunt, qui fundis ex lino vel setis factis (has enim dicunt esse meliores) contorto circa caput brachio dirigunt saxa. Præterea glandibus plumbeis utebantur, quæ quoniam ipso motu ardescere & liquecere judicabantur, *arsurae glandes* Statio dicuntur:

& lucida ferro
Spicula & ARSURAS cali per inania GLANDES,

Saxaque in adversos ipsis avulsa rotabant
Mœnibus.

Thebaid. L. X. v. 526. Ad quem vetus scholiastes notat: plumbeas glandes, quas impetus excussionis, dum per aërem volant, LIQUESCERE cogit. Ipsas autem nimio motu ignem quasi concepisse & hoc ipso distillasse, suo adsen-

adsensu comprobat *Virgilius* Aen. L. IX. v. 586. 589.

*Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena;
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.*

Sed *ως εν ποροδω* notandum, *Virgilium* minus *αβλεψιας* insimulandum, contraque antiquitatis testimonium sermonem conformasse suum, dicendo, *trina funda rotatione defunctum esse Mezentium*; cum tamen *Vegetius* L. II. cap. XXIV. præcipiat, *adsuescendum est etiam, ut semel tantum funda circa caput rotetur, cum ex ea emittitur saxum*. Cum *Virgilio* nostro facit *Statius*:

teretes pars vertere fundas

Adsueti, vacuoque diem pracingere gyro.

Theb. L. IV. v. 66. 67. Notari hic merentur verba scholiastis antiqui, *in aërem*, inquit, *rotatis fundis, bis aut ter vano rotatu, donec lapis extra fundam ejacularetur*. Ut proinde *Virgilius* ab omni ignorantiae suspicione sit absolvendus. Quod autem *Vegetius* adferit, de crebra & assidua exercitatione est accipiendum; milites sc. jugi exercitio ad tantam promptitudinem cum tempore perductos esse, ut, quod olim bina vel trina rotatione vix potuerint efficere, in ipsis una circa caput gyratio præstet. Sed e diverticulo in viam redeamus. Ex utroque *Virgilii* & *Statii* loco adparet, ea de causa ro-

tasse fundam antiquos , ut glans plumbea
vehementiore motu dissolveretur & majore
cum vitæ periculo in hostem evibraretur.
Quod ipsum etiam *Servius* observat : *plum-*
bum, inquit, *jaçtum nimio rotatu & aëris ca-*
lore dissolvitur. Nec vero hæc sententia
intra poëtarum palæstras substitit , verum
etiam ad philosophorum umbracula pro-
ferpsit. *Aristoteles* certe huic calculum ad-
jecit suum facta enim de sagittis mentione,
addit : *παντα γαρ αὐτα NB. ἐκπυρεται ἕτως, ὡς*
τι κροθαι τις μολυβδαας de cæl. l. II. c. VII. p.
m. 636. Tom. II. In eadem opinione versa-
tur *Seneca*, non postrema porticus gloria : sic
inquit, *liquefcit excussa glans funda & attritu*
aëris velut ignis distillat. Quæst. nat. l. II. c.
LVII. Ast vero quantam etiam cumque
speciem habeant & phisosophorum consen-
sione firmentur, non tamen ita res ad liqui-
dum est deducta, ut animus adquiescere
possit. Glandem funda emissam liquefcere
& rationi & experientiæ adversatur, cum
ne quidem id in illis, pulvere pyrio accenso
sclopetis excussis, hodierno die deprehenda-
mus ; quare *Lipsius* id omne, quod poëtæ de
glandibus ardentibus, iisdemq; liquefcantibus
tradunt, poëtarum figmentis adscribit, ipsis-
que etiam phisosophis hac in re omnem fi-
dem derogandam esse contendit. Caussam
autem, quare hæc fabula omnium fere poë-
tarum industriam exercuerit, hanc fuisse con-

conjicit. Potest; semel ut & rarissimo casu plumbatura & adfrietu aëris, aut corporis durioris, intabuerit; & miraculum ab uno arreptum cucurrerit statim per omnes poëtas, ad c.l. Cum igitur infirmo admodum, imo nullo tibicine nititur, quidquid antiquitas de glandibus ardentibus somniat, magnus Grotius, sagacissimus alias oraculorum divinorum indagator, nos in vado destituit.

§. 6. Nec tamen animus omnino est abjiciendus. Quod si enim aliquod teli genus, ipso opere ardens, ignemque corpori inferens, ex antiquitatis monumentis dari potest, ad illud apostolum adlusisse, nullus ego quidem ambigo. Proclivis igitur est animus cogitare de *Falaricis*, quæ unde nomen suum habeant *Martinus Lex. philol. p. 767. 768.* evolvit. Nobis in præsentia ex *Hesychio* enotasse sufficiat, fuisse εἶδος λουχης. Figuram illius & conformationem nobis ob oculos ponit *Servius* ad *Aen. L. IX. v. 705.* est ingens telum, torno factum, habens ferrum cubitale, supra quod veluti quadam sphaera, cujus pondus etiam plumbo augetur; dicitur enim ignem habere adfixum, stuppa circumdatum, & pice oblitum: NB. INCENSUMQUE AUT VULNERE HOSTEM AUT IGNE ABSUMIT. Cum hac descriptione *Serviana* convenit omnino illud, quod *Livius* tradit: *Falarica missile telum hasti-*
li

li oblongo & cetera tereti, præterquam ad extremam, unde ferrum exstabat, id, sicut in pilo, quadratum stупpa circumligabant, lineabantque pice, ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere posset corpus, sed id maxime etiam si hæssisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat Lib. XXI. c. VIII. Superioribus addatur Vegetius, falarica, inquit, ad modum haste, valido præfigitur ferro: inter tubum & hastile, sulphure, resina, bitumine, stupitque convolvitur, infuso oleo, quod incendiarium vocant, de re milit. L. II. c. XVIII. Hoc armorum genus videtur in initio quidem Hispanorum proprium fuisse, quod ex Livio l. c. elucet, postea vero & jam illius usum ad Romanos, aliasque gentes transiisse. conf. idem Liv. L. XXXIV. c. XIV. Ex iis igitur, quæ hætenus adduximus sole meridiano clarius elucet, falaricam commodissime telum ignitum dici posse.

§. 7. Sed vero res nondum est in tuto, nisi, quæ passim de falarica tradunt auctores, cum phrasi Paullina conciliavimus. (I) Est telorum genus, quod eminus manu emittitur; unde ex definitione Hesychii, superius §. 1. producta, nomine βελος sive teli percommode insigniri potest. (II) Est βελος πυρωμενον, eo ipso momento, quo ejaculabatur, ignem conceptum habens, & quæ contingebat corpora, incendio absumens.

sumens. Namque mediam accensum mittoba-
 tur, conceptumque ipse motu multo majorem
 ignem ferebat Liv. L. XXI. c. VIII. (III) Ad-
 versus illud se scuto munire & defendere sole-
 bant, quod ex illis Livii verbis adparet, sed id
 maxime etiam si haesisset in scuto, nec penetrasset in
 corpus, pavorem faciebat, c.l. Idem testatur Vir-
 gilius Aen. L. IX. v. 705.

Sed magnum stridens contorta falarica venit,
 Fulminis acta modo: quam nec duo taurea
 terga,

Nec duplici squama lorica fidelis & auro
 Sustinuit.

Id unum mihi objici posse facile praevideo,
 falaricam esse teli genus murale & obsidionale,
 quo in turribus vel defendendis, vel oppugna-
 dis antiqui sint usi; unde etiam a falis, i. e. tur-
 ribus, iudice Servio, nomen traxit suum, ra-
 tione adjecta, eo quod hoc telo turribus pugnaba-
 tur Conf. Veget. c.l. Sext. Pomp. de verb. signif.
 p. 286. Non. Marcell. de propr. serm. cap.
 XVIII. p. 798. Verum observamus, (α) di-
 stinguendum esse inter falaricam, hastam,
 quae manu emittebatur & muralem, quam
 ipsam distinctionem Servius adhibet. (β)
 Etiam diabolus & universum caelum & sin-
 gula ejus membra βελεσι πεπυρωμενοις, castello
 praevalido ejaculatis, configere satagit; in-
 fernali quippe potestati πυλας adscribuntur
 Matth. XVI. 18.

§. 8. Adversus hæc autem ignita tela ap-
 suos vult munitos θυρεω πτερος, quam vo-
 cem nos commodissime per *scutum* vel *cly-
 peum* convertere possumus. Inter utrum-
 que enim non aliam intercedere differenti-
 am, nisi quod hic *peditum*, illud *equitum*
 proprium esse consueverit *Isid. Orig. L. XII. p. m. 1272.* judicat. Hesy-
 chius vocem θυρεος interpretatur εἰδὲ ἀσπίδῳ, & ad
 vocem θυρεῖον (quam mendosam esse con-
 jiciunt *Salmasius* & *Sopringius*) notat, esse
 idem, quod ἀσπίς ἢ σκεπτικόν. Intelligitur
 autem scutum amplius & majus, totum fe-
 re corpus obtegens, quo ab hostium telis
 & armis tuti essent, contra distinctum par-
 mis & peltis. Hoc ipsum etenim nomen,
 quo utrumque insignitur, declarat. Cly-
 peum a κλεπειν i. e. *celando* dictum, quod cor-
 pus celet & ab hastis atque jaculis corpus mu-
 niat, existimat *Serv. ad Aen. L. VII. v. 686.*
Fl. Sosipater Charis. p. 1361. edit. Gothofr.
Isid. Orig. L. XVIII. c. XII. Eodem tendit
scuti nomen, illud enim *Isidoro* iudice, ita
 est adpellatum, quod a se excutiat telorum
 ictum, ut enim telis resistatur, clipeus antefer-
 tur. Cui usui ut servirent clipei ex multi-
 plicatis animalium pellibus conficiebant, su-
 perficie ænea superinducta, quod multis
 antiquiorum auctorum testimoniis compro-
 bavit erudit: *Meursius* ad *Lycophr. Alex.*
v. 854. p. m. 84. Quibus nos quædam alia
 ad.

adjungemus. Hanc scuti formam sistit Polybius de milit. & castramet. Rom. ex vers. Casaub. p. m. 477. 478. Scutum, inquit, latum in superficie gibba duos pedes cum dimidio: longum pedes quatuor, aut si sit majus, ad hanc mensuram accedit palmus, e duplici tabulato glutine taurino est compactum: extrema superficies linteo, deinde vitulino corio circumtegitur. In ambitu circa superam inferamque partem ferrea prætexitur lamina, qua adversus casum illatos ictus munitur & ne humo incumbens corrumpatur, adaptatur etiam illi concha ferrea, (is est umbo) qua ictus vehementiores defendit lapidum, sarissarum & violentorum omnium telorum. Quæ descriptio quam accurate componi potest cum illa Virgilii, qua Pallantis a Turno interfecti clipeum nobis ob oculos ponit:

*at clipeum tot ferri terga, tot aris
Cum pellis toties obeat circumdata tauri,
Vibranti cuspis medium transverberat ictu,
Loriceque moras & pectus perforat ingens.*

Extremam autem clipei superficiem linteis fuisse opertam, auctoritate sua firmat idem Virgilius:

*illa (hasta) per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribus-
que
Transit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine.*

Aen. L. X. v. 783. 785. Ad quem locum Servius notat: ideo lino tecta fuisse scuta ut possent habere pictura, nam quod ad L. VII. v. 796, observat, apud majores virorum fortium picta erant scuta inertium & tironum pura erant. Ab hoc igitur corio bubulo, unde scuta constabant, ipsis apud græcos nomen *Βουρυσσα* est inditum, quæ vox interprete Hefychio *ἀσπίδα* designat; cujus nomenclaturæ rationem reddit Tzetzes ad Lycophr. Alex. v. 854, ἐκ δειγματός Βοῦ ἀγεία γερωνάω. Notandum autem adhuc, certis quibusdam signis, imo inscriptis nominibus scuta interstincta fuisse; ea quidem de causa, ut si quando in prælii tumultu ab invicem discederent ac dispergerentur, ex qua quisque cohorte esset, internosci posset. Notavit illud Vegetius, cujus verba adscribere non piget: *sed ne milites, inquit, (aliquando in tumultu prælii a suis contubernalibus aberrarent) diversis, cohortibus diversa in scutis signa pingebant ut ipsi nominant δειγματά, sicut etiam nunc moris est fieri. Præterea in adverso scuto uniuscujusque militis (litteris) erat nomen adscriptum, addito ex qua esset cohorte & centuria, de re milit. L. II. c. XVIII. p. m. 52. 53. Habebantur autem scutati omnium firmissimi & totius exercitus robur censebantur; quare etiâ in ultimo ordine locabantur, ut fessis reliquis, vel etiam ad fugam inclinatis subsidio esse, hostiumque impetum*

tum sustinere & retardare possent vid. Ve-
get. l. III. c. XIV. p. m. 101.

§. 9. Ebræis duo sunt nomina, quibus cli-
peum expriment **צנה** & **מגן**, quorum illud
ab *ambitu*, hoc a *tutela*, quam militi præ-
stat, tractum esse judicatur. **צנה** judice
Abarbanele ad 1. Reg. X. 16. 17. dicitur **לפי**
לל צר *quia ho-*
minem obtegit, eundemque undique ambit. **מגן** a
גן deductum, præsidium designat, quod
illi adfert, qui eodem tegitur; hoc enim
Kimchius libr. rad. col. 93. notat **על כן**
על נושא *ea de causa*
adpellatur מגן, qua protegit sui portatorem.
Chaldæis dicitur **תרית**, quæ vox fortean ex
græca **θυσ** fluxit, nisi quis ab Arabica
تروس *clipeum* vel *scutum* designat, per
litterarum metathesin derivatam velit. A-
pud interpretem Syrum differentia aliqua
occurrit, aliis editionibus in h. nostro l.
cum *Widmanstadio* **מבן** *scutum*, aliis
מבן *spes*, cum *Guidone Fabricio* legen-
tibus, quæ differentia procul dubio adfinita-
ti litterarum **כ** & **ב** ortum suum debet. Hoc
autem discrimen inter **צנה** & **מגן** intercedere
existimant magistri, ut illud *majus* aliquod,
hoc *minus* scutum significet; ita enim *Abar-*
banel **צנה הוא גדול מהמגן שהוא הכלי שמוליכי**
אותו בידיהם להשנב במ מהאויב צנה בעת שילחמו
majus est מגן quod est instrumentum (bellicum)

quod portant manibus suis, quoque se ab hoste
 tempore pugna protegunt, comm. in proph.
 prior p. 235. col. I. Formam illius tradit R.
 Isacides צנה מקפת את האדם משלש רוחותיו
 i. e. צנה ambit hominem tribus lateribus suis ad
 1. Reg. X. v. 16. 17. & Pf. V. 13. Utriusque
 delineationem dedit Cl. Daffovius, quidque
 per utrumque magistri intelligunt ad tit.
 Celim. §. 1 - 10. prolixè tradit. An vero
 heic loci ab apostolo ad Ebræorum scuta
 sermo adcommoedetur, quæ ea de causa
 oleo fuerint inuncta, quo minus tela per-
 terebrent, sed repercussa resiliant, eoque
 nomine βελη πεπυρωμενος dicantur, quod diff.
 II. de emph. voc. sacr. p. 19. 20. & ad tit.
 Celin. §. 10. adserit, suo loco relinquo. Scri-
 bit Ap. ad Ephesinæ urbis cives, Christo per
 fidem adgregatos, qui cum Amazonum
 profapia oriundi essent, certe telorum, scu-
 torumque usus ipsis ignotus esse non potuit,
 eo maxime, cum, quo tempore Romani bel-
 la per Asiam administrabant, iisdem im-
 plicarentur.

§. 10. Hæc sunt, quæ ad illustrationem
 γησσεος Paullinæ adnotare visum fuit, neces-
 sum est, ad ipsam rem, quam apostolus in-
 digitat, propius accedamus. Apostolum
 heic credentes scuto fidei adversus quales-
 cunque tentationes pessimi illius genii ar-
 mare, quæ in imaginationem, imo animum
 ipsum altius demittantur, quarumque vis
 be

beneficio fidei vel intervertatur, vel prorsus eludatur, plerorumque interpretum est sententia, & id ipsum peculiaribus dissertationibus Cl. Viri Joh. *Arrouwsmith* Tact. Sacr. L. II. cap. VII. VIII. p. 152-177. Joh. H. *Heideggerus* diff. select. Tom. IV. diff. III. §. 34. 40. p. 110, 116. demonstratum iverunt. Quæ licet commodum sensum habeant, & pro amplitudine phraseos subintelligi possint, existimem tamen ad specialiore[m] quandam luctam, qua ecclesia Ephesina tunc temporis agitabatur. vel quæ ipsam haut ita multo post manebat, respici. Sapienter illud monuit Cel. Theologus *Salemon van Till* op. analyt. T. II. p. m. 595. 596. Paulo epistolæ conscribendæ occasionem subministrasse *restitutionem ecclesia Ephesina*, ceterisque *Asiaticis imminentem*, fore sc. ut ethnicismus laetertos moveat; hinc persecutionibus, atque ita aperta vi; illine artibus nescio quibus magicis, junctis cum studiis philosophicis. Inde pergit suamque sententiam explicatius tradit: quidni, inquit, *Paulus in spiritu previdisse putandus est* *πρωτος Apollonii Tyanæi philosophi*, atque stupendis artibus magicis celeberrimi, quidudum egit inter Ephesios: *cujus unicum consilium fuisse testantur veteres*, sicuti & *Jannes & Jambres Mosi restiterunt*, artibus suis resistere Christo & apostolis, *quærens omnia eorum miracula eludere.*

§. II. Nec vero hæc sententia a phrasi Paul-

lina est aliena. Quem fugit telorum nomine, significatione translata, venire artes atque fraudes, quibus ab hominibus vaftris periculum nobis struitur, ut hinc in proverbium abierit: *Et meum telum cuspidem habet acuminatam*: quo de vide sis *Erasmus* adag. p. m. 90. Eadem significatione *Cicero* P. Quintium a violentia Sext. Nævii vindicaturus, cujus fortunas & famam pessumdare nitebatur, vocem adhibet. *Ita fit*, inquit, *ut ego, qui tela depellere & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam TELUM adversarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit: Et si qua in re, id, quod parati sunt facere, NB. FALSUM CRIMEN, QUASI VENENATUM TELUM, jecerint, medicina facienda locus non erit* *Orat.* pro P. Quint. c. XI.

§. 12. Philosophos autem inde a primis nascentis Christianismi primordiis sanctissimæ nostræ religioni sese opposuisse & ruentibus profanorum deorum rebus suppetias tulisse, sacra loquitur historia. Cum enim a sacerdotibus & popis, qui rerum divinarum rudes fere & expertes, sacris unice intenti erant, id minus expectari posset, sacrorum causam philosophi susceperunt. Qui rerum divinarum sapientia incluti, id unice egerunt, ut religionem Christianam tanquam simplicem atque fatuam, neque ulla
sapi-

sapientiae specie commendabilem, vulgo de-
ridendam præberent, eosdemque apud sum-
mos imperantes tamquam deorum patrio-
rum contemtores & communis humanitatis
hostes in invidiam adducerent. Experti il-
lud sunt ipsi apostoli Act. XVII. 18. seqq.
quin imo tota religio Christiana, quia non
ἐν παιδαίῳ ἀνθρώπινης σοφίας λόγοις constabat,
græcis, interque illos vel maxime philoso-
phis ΜΩΡΙΑ censebatur 1. Cor. I. 23. Quibus-
que criminibus & calumniis sophistæ se-
quentibus temporibus Christianos onerave-
rint, ex libellis apologeticis, qui ad nostram
memoriam sunt transmissi, satis adparet.

§. 13. Præ aliis autem huic tentationi ex-
posita fuisse videtur ecclesia Ephesina, ubi
famosus ille impostor *Apollonius Tyaneus*,
Tyana Cappadociae oppido oriundus ali-
quamdiu hæsit, civesque ephesinos sapien-
tia & stupendis operibus suis tanta sui ve-
neratione inflammavit, ut *Lactantius* instit.
div. L. V. c. III. p. m. 241. *simulacrum ejus sub*
Herculis Alexicaci nomine constitutum, ab
EPHESIIS etiam nunc honorari, disertis ver-
bis adseveret. Equidem me non latet, plu-
rima homini prodigia & miracula adfecta
fuisse, ea solum de causa, ut profanæ gen-
tes haberent, quem Christo opponerent;
speciatim illud de telesticis ipsius imaginibus
(quarum rationem reddere conatur erud.
Joh. Gregorius not. & obs. c. VIII.) demon-

stravit Cel. *Moshemius* Bibl. hujus Cl. III. Fasc. I. p. 1-35. Negari tamen omnino nequit, illum magna inter gentiles auctoritate polluisse. *Apulejus* Madaurensis, qui ætate antevertit *Philostratum*, (qui totus in ornando *Apollonio* versatur) hunc celeberrimis magis accenset apol. II. p. m. 216. & *Lactantius* observat, *Hieroclem* (hunc enim heic indigitari ex libr. de mort. pers. c. XVI. adparet & *Joh. Pearsonus* proleg. ad *Hierocl.* in carm. aurea *Pyth.* p. 13-17. probavit, inque hujus ætatem aliquanto pressius inquisivit *Moshemius* l. c. p. 14-18.) voluisse ostendere *Apollonium* vel paria, vel etiam majora (*Christo*) fecisse c. l. p. 240. Actatem hujus hominis in tempora *Domitiani* incidere & a. XCV. post natum *Christum* insignem existisse *Eusebius* *Chron.* I. II. p. 164. tradit, ipsum tamen jamdum imperante *Nerone* magicis suis artibus inclaruisse & ad usque *Nervæ* imperium ætatem suam protendisse, alii docuerunt. *Philostratum* autem suis de *Apollonio* commentariis plurimum ad ejusdem existimationem contulisse, extra omnem dubitationis aleam est positum. Inde factum, ut passim ipsum divinis honoribus sint profecuti, sic de *Alexandro Severo* tradit *Lampridius* c. XXIX. ipsum *Apollonium*, *Christum*, *Abraham* & *Orpheum* in larario suo habuisse, & *Eunapius* in *Chrysanthii* vita p. m. 146. testatur, *Apollonio* divi-

num

κίαν cultum exhibitum fuisse. In confir-
 mationem hujus rei adduci merentur verba;
 quæ idem in præf. p. 11. in litteras misit:
 Απολωνι ο ειν Τυανων εκ ε'τι φιλοσοφου, αλλ'
 ην τι θεων και ανθρωπων μεσον. την γαρ πυθαγο-
 ρικον φιλοσοφικαν ζηλωσας, πολυ το θεοτερον και ενεργ-
 γον και αυτην επεδειξατε.

§. 14. Quod si igitur vaferrimus hic im-
 postor ipso illo tempore, vel non multo
 post quo apostolus in vivis fuit, florere cæ-
 pit, suaque vivendi ratione, doctrinæ sub-
 limate, magicisque operationibus pluri-
 mos, maxime vero Ephesios in stuporem
 dedit, inque errorum præcipitia deduxit,
 non injuria dicimus, Paullum credentes
 Ephesinos contra ipsius insultus & præsti-
 gias munitos voluisse. Habere omnino ec-
 clesiam Ephesinam, a quibus sibi metuat,
 Paullus sub ipsum discessus sui tempus præ-
 significaverat, nominando λυκας βαρβας και
 ανδρες, λαλυντας διεσραμμενα Act. XX. 29. 30.
 Non unum idemque hominum genus utra-
 que adpellatione designari, oppositio lucu-
 lenter admodum declarat. Posteriores et-
 enim ex ipso credentium Ephesinorum ex-
 terno cœtu prodituros esse adseverat, εξ
 υμων αυτων inquiens, αναστησονται, cum de priori-
 bus dicat εισελουσονται, μετα την αφιξιν [με-εις
 υμας. In sacris libri malorum doctorum
 symbolum sustinent, qui detestandis infecti er-
 roribus, animas a doctrinæ cælestis lumine

avertere, inque æternum exitium præcipitare & perdere nituntur Jo. X. 12. Probabile igitur est admodum per *λυκας βαρεις* apostolum doctores designare, qui non de externo Christi grege erant, philosophos gentiles, interque illos vel maxime Apollonium, qui gregem Christi dispergere ac omnibus viribus impedire satagebant, ne qui Christo nomen darent, adeoque animas suas exitio eriperent. *Ανδρες λαλουντες διεσραμμενοι* sunt homines in ipsis ecclesiæ pomoeiis suppullulantes, gnostici, Platonica Pythagoricaque philosophiæ principiis imbuti, ad eorundemque amussim sublimiora Christianæ religionis mysteria exigentes. *Quin κοπος*, quem de ecclesia Ephesina tanto prædicat opere Christus Apoc. II. 2. huc ex parte referri potest; eum nimirum in Apollonii moliminibus & gnosticorum falso nominata scientia & impura eorundem vita propulsandis impendisse. Quam sententiam post *Hermannum Witsium* Miscell. sacr. T. I. de sens. hist. apoc. §. LXX. *Cel. Camp. Vitringa* in apoc. p. m. 97. suo adsensu comprobat, conf. etiam *Gerbrandus van Leeuwen* comm. in act. ap. Tom. II. p. 554. 555.

§. 15. Favet huic nostræ interpretationi orationis Paullinæ *συναφεια*. Apostolus enim rationem redditurus, quare Ephesios tanto armorum adparatu munitos velit, *εσιν ημιν*, inquit, *η παλη προ αιμα ηου σαρκος*
αιμα

ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τὰς
 κοσμοκρατορίας τὰς σκιάς τῶν αἰώνων τῶν τῶν, πρὸς τὰς
 πνευματικά τῆς πονηρίας ἐν ταῖς ἐπιθετησίαις V. 12.
 cap. VI. Duplicis vel maxime generis ten-
 tationes Satanas in primordiis nascentis
 Christianismi credentibus objecit, quarum
 alias a potentia principum hujus mundi, alias
 ab astu & insidiis philosophorum me-
 tuere habebant, quos omnes princeps ille
 tenebrarum armavit, ut partim aperta vi,
 partim per cuniculos religionem Christia-
 nam oppugnarent, &, si pote, radicitus
 evellerent. Prioris generis tentationes in-
 nuit, per ἀρχάς, ἐξουσίας, κοσμοκρατορίας in-
 telligendo provinciarum præsides & recto-
 res, qui orbem Romanum gravi imperio
 premebant, suisque edictis Christianam re-
 ligionem tamquam novam, profanam, sacris
 avitis inimicam ac detestandam insectaban-
 tur. Posterioris generis sunt πνευματικά τῆς
 πονηρίας, philosophorum molimina, qui fal-
 sis suis ratiociniis sapientiam cœlestem ever-
 tere satagebant.

§. 16. Sed vero his tentationibus ap. op-
 ponit fidem, tamquam firmissimum & vali-
 dissimum munimentum, qua qualiacumque
 adversariorum suorum tela repellere, seque
 ab illis defendere queant. Fides hic in
 omni suo ambitu & amplitudine est accipi-
 enda, quæ, quum omnes hominis faculta-
 tes permeat & pervadit, eundem etiam ad-

versus omnis generis tentationes tutum & incolumem præstat. Fides sine salutarium veritatum cognitione consistere non potest, in qua qui sunt ἐπιζωμενοὶ καὶ βεβαιωμενοὶ Col. II. 7. facile omnes hostium suorum insidias deprehendere, subtilissimas eorundem ratiocinationes refellere & retundere possunt, quo minus *agitantur & circumferantur qualicumque vento doctrina* Eph. IV. 14. ne quisquam ipsos decipiat inanibus sermonibus c. V. 6. In quo utroque loco quod ad philosophorum falso nominatorum artes respiciatur, eo minus est dubium, quoniam philosophiæ falsæ *κενὴ ἀπειλή* Col. II. 8. adscribitur. Sint licet hæc tela potestatis infernalis igne armata, eque arce prævalida evibrentur, credentes tamen scuto fidei tecti, non vim solum illorum eludere, verum etiam simplicitate fidei ipsa munimenta evertere, perverse ratiocinantium philosophorum consilia & ratiocinationes, omnemque ingenii & rationis humanæ altitudinem, adversus evangelii doctrinam se efferentem, destruere possunt 2. Cor. X. 4. 5. Intentent licet hæc mortem luctuosam non tamen illis, qui fidei scuto sunt muniti, damno esse possunt; his enim quoniam vita, quæ ex Deo est, vivificantis spiritus operatione, beneficio fidei restituitur, vitam æternam certa fiducia & *πληροφροσυνα* jamdum præcipiunt Jo. III. 16. Et quoniam per fidem Christo, quam ar-

ctissi-

diffime conjunguntur, adeo ut ipsi in Christo, & Christus in ipsis vivat Gal. II. 20. nulla potentia, imo ne ipsa quidem mors a caritate Dei ipsos separare potest Rom. VIII. 38. 39.

§. 17. Ex ante dictis facile adparet, quare fides inter reliquam spiritus militiæ armaturam intermedia ponatur, eandemque apostolus præ omnibus aliis quam maxime commendat, ἐπι παντι, inquiens, ἀναλαβόντι τοῦ θυρεοῦ τῆς πίστεως. Scutum totum hominis corpus obtegit §. 8. sic & fides omnes & animæ & corporis vires, facultatesque occupat & pervadit, seque vel ad externa corporis membra transfundit, ut arma justitiæ deo sistantur Rom. VI. 13. Intellectum veritatum cælestium, quæ ad pietatem ducunt, cognitione illuminat, judicium informat & confirmat, quo de viis Dei in regimine universalis providentiæ & ecclesiæ conspicuis sapienter judicet, voluntatem rebellem & refractariam occulta quadam & interna vi ad obsequium fidei & præceptorum divinorum observationem rapit, inordinatos adfectus temperat, eosdemque moderatur, ne adversus sanctæ voluntatis dictamen subsultent, ipsa denique corporis membra Deo sistit in gloriosum ministerium. Hac ratione ubi fides totum hominem possidet, commodissime scuto adsimilari potest. Ut enim scutum hominem protegit,
ne

ne vis externa ipsi inferatur; sic etiam fides, quæ per totum hominem se diffundit, impedit, ne tentationes, sive externæ, sive internæ fuerint, nocere possint. Vult igitur apostolus, fidem *ante omnia* tanquam scutum adsciscendam esse, eandemque inter reliquam armaturam mediam ponit, quia, quidquid est reliquorum armorum spiritualis militiæ, a fide salutari vitam quasi atque spiritum trahit. *Veritas* i. e. agnitio veri Dei & servatoris Jesu Christi quid est? nisi a fide vera & salutari animetur: ea quippe confirmat, quod Deus sit verax; hinc Paulus testatur *deum nos elegisse in fide veritatis* 2. Thess. II. 13. *Thorax justitiæ*, quæ in Christo est, qua induimur, ne nudi coram deo inveniamur, nostra non fit, nisi *per fidem* Phil. III. 9. *Pedes* non possunt *calceari promittuntur evangelii pacis*, nisi fides motum quendam & alacritatem addat, quæ facit, ut orbis Christo collum subdat. *Galeam salutis* accipimus, quando Christum salutis causam fide nobiscum jungimus. Denique *gladium spiritus* i. e. verbum dei ineluctabili spiritus S. potentia validum & efficaxprehendimus, quo cogitationem omnem subigimus in obsequium Christi 2. Cor. X. 5. Quæ causa est etiam, quare fidei *sepius* i. Petr. V. 9. adscribatur. Denique observandum ap. admonendo Ephesios, ut scutum fidei adsumant, illos velle quam firmissimos.

mos. Ut enim scutati in exercitu firmissimi & totius exercitus robur censebantur, qui reliquis laborantibus subsidio venirent §. 8. sic etiam, qui scuto fidei sunt armati, ex firmissimis Jesu Christi militibus jure merito habentur. Et certe tales oportet illos esse, qui tela ignita Satanæ refringere adlaborant. Ex gravissimis & difficillimis tentationibus erant, quæ rei Christianæ a philosophorum insidiis imminebant, maxime vero illorum, quos haut vulgaris sapientiæ gloria, moderationis species & vitæ probitas commendabat; cui rei Juliani defectoris astutia documentis esse potest. His infernalis exercitus antesignanis minus obviam mittendi tirones, debiles & infirmi fide, sed ejusdem robore succincti, planeque confirmati, qui adversariorum ingenii & eloquii opibus pollentium stratagemata & advertere & retundere, hostesque ipsos profligare & prosternere norant.

§. 18. Possemus equidem heic pedem figere, sed liceat nobis bona cum lectoris venia observare (I) Scutis militaribus nomen imperatoris, in cujus castris militabant, inscriptum fuisse. Sic de Thorii legionibus memoriæ prodidit *Hircius, Cn. Pompeji nomen in scutis inscriptum habuisse*, hoc ipso significantes, se in Pompeji fidem potestatemque concessisse, cujus *nomen* vero postea, ad Cæsar's partes redeuntes, *ex scutis*
detra.

*de*traxerunt de bell. Alex. c. LVIII. LIX. Hoc
 ipsum etiam scutum fidei importat. Qui
 per fidem ex peccatorum servitute in filio-
 rum dei libertatem, Christique peculium
 adferitur, inque statum filiorum dei trans-
 fertur, *novum nomen accipit* Jes. LXII. 2.
 LXV. 15. Apoc. II. 17. de nomine Jehovah
 adpellatur, hoc ipso certissimum testimo-
 nium accipiens se esse de familia dei, ejus-
 dem partes tueri, sub illiusque signis & au-
 spiciis militare. Hi sunt, qui fide purificati
 corde *signo signantur in frontibus suis* Ezech.
 IX. 4. quique *habent nomen patris sui scri-
 ptum in frontibus* Apoc. VII. 3. 4. XIV. Jure ad-
 optionis accipiunt spiritum filiationis tan-
 quam *σφραγίδα & ἀρραβωνία* obsignantem &
 confirmantem ipsis omnia illa beneficia, qui-
 bus per fidem in Christum mactantur
 2. Cor. I. 22. Eph. I. 13. IV. 30. Quo ipso
 signo dominus suos tamquam populum *με-
 τριοινοσεως* cognoscit, ne quis ipsos mani-
 bus suis eripere possit. Non solum vero no-
 men imperatoris, verum etiam (II) *cohortis*, ex
 qua quis esset, imo nomen militis inscribeba-
 tur. §. 8. *Δεγμα* illud *externum*, notat *externam*
oris confessionem Rom. X. 9. qua quis id con-
 sequitur, ut externis privilegiis in domo dei
 fruatur. *Δεγμα internum*, designat ipsum no-
 men *novum* filiationis & jus ad hæreditatem
 cælestem, quod nemo novit, nisi qui
 accipit Apoc. II. 17.

Conradi M E L, D.

Schediasma Epistolicum,

ad Virum Max. Rev.

D. S. DE H.

de *Lapide PUCH,*

ad *Jes. LIV: II.*

מרבין בפוך אבניך :

Anus est, & quod excurrit, V. M.

R. cum in limitibus locorum curæ
nostræ Ecclesiasticæ mandato-
rum conveniendo, inter alia

ἀκροάματα scire desiderabas sen-

tentiam meam in locum illustrem *Jes. 54. v.*

II. & maxime ad verba, *Et ponam in stibio*

lapides tuos: Quam tunc quidem ex parte

aperiebam, ast pleniorẽ deductionem pro-

mittebam: Ut igitur aliis intervenientibus

negotiis hætenus impeditus, denique fidem

datam liberem, hoc Epistolio mentem me-

am plenius aperiã. Inter vexata V. T.

dubia haud immerito refertur hic locus, de

quo magnus ipse *Coccejus* silere potius, quam

minus certi quid definire voluit, ita ut in

Lexico

Lexico suo p. 662. dicat ad vocem פוּר *Liceat* nobis secure ignorare, quis iste lapis? aut quis ejus usus sit? Tentare interim licebit, an quidquam hac in re dubiâ asserere liceat. Cardo rei versatur circa significationem vocis פוּר, & quo sensu in hoc loco applicetur: Ad prius quod attinet, extra omnem dubitationis aleam positum est, hanc vocem derivari à Rad. פוּח, quæ diversas habet significationes (a) pro diversitate locorum, in quibus occurrit, notat enim i. flare, unde & פוּח favilla, quia levi flatu dispellitur, ut latens carbo in nitore suo appareat: 2. significat colorare, coloribus depingere vel ornare, unde Talmud in Bava Basra de Domibus, propter luctum Vastationis Templi, non colorandis ait: אין מפיירין ואין מביירין: Non obducunt calce, neque figuris ornant, neque coloribus pingunt hoc Tempore. Vid. Buxtorff. in Lex. Talmud. Ex varietate significationis igitur, pro diversitate locorum in quibus occurrit, & pro ratione circumstantiarum, explicanda hæc vox est atque intelligenda.

In Notione sua prima פוּר significat pulverem levissimum flatu dissipandum vel applicandum, unde & vox Græca (b) φύκος

(a) Matth. HILLERUS in diss. de gemmis pectoralis Pontif. M. p. 23. quinque distinguit פוּר significationes. T. d. H.

(b) Ab illo φύκος, quem ornatus causa adhibebant, orta

& Latina *fucus* ortum habet. Hoc sensu
 occurrit 2. Reg. IX. v. 30. ubi de *Jesabele*
 dicitur. **והשים בפוך עיניה** Et posuit in
stibio oculos suos : LXX. ἐσμίψασα τὰς ὀφθαλ-
 μὰς αὐτῆς *stibio depinxit oculos suos* unde patet
 quod vocabulum **פוך** pro *stibio* sumatur :
 confunditur quoque & combinatur vox **פוך**
 sæpius cum **כחל**, sic Chaldæus Jer. IV. 30.
תכחלין בצרידא עיניך pingis *stibio oculos tuos* :
 LXX. ἐὰν ἰγχεῖσιν σίβη τὰς ὀφθαλμὰς σου.
 & Syrus collinendo *collyrio oculos tuos*.
 Quid vero **כחל**, *cochal* ! quid *stibi-*
um ! altioris est indaginis : **כחלא** in Tal-
 mude fumitur pro specie *marmoris viridis &*
colorati in Succa & Basra, Buxt. Lex. Tal-
 mud. Quamvis verò interdum significet
 Lapidem figuratum, *stibii colorem refe-*
rentem, non tamen eò sensu hic sumi pot-
 est ; quia de ornamento muliebri oculis ap-
 plicato, loquitur Propheta : Sed procul
 dubio hic intelligenda est species fuci, quod
 indicat vox **צרידא** in *Chaldaica* & **כחל** in
Syriaca *Versione*, quæ notat *fucum* seu *sti-*
bium quo pinguntur *facies & oculi*. In *Ve-*
netis legitur **צרידא** & *Baal Arach* ex Tal-
 mud **Class. VIII. Fasc. V.** Fff mud
 orta videtur vox **πυκάζω**, quod est ornare. Glossari-
 um vetus : **πυκάζω**, *condenso, aperio, orno*, unde
πυκα, *ornate*. Anne hinc *Belgarum* **puiq, puick**,
 quod de re *pulebra, nitida* dicitur, derivandum
 est? T. d. H.

nud *Kelim* notat, quod קלם קלם significat
 et *Lapidem Hora*, seu signis suis depictum
 Horologium solare: Cl. *Brannius* mallet le-
 gere קלם & inde derivare vocem *cerussa*,
 propter convenientiam sibi ac *cerussa*.
 Vid. *Plin.* cap. 6. L. 23. & cap. 18. Lib. 34.
 כחל *cochal* igitur ex consensu Linguarum
 Orientalium notat fucum & derivatur à
 כחל Syr. كحل Arab. כחל *fucavit decepit*.

Ludolphus, ab hac voce deducit Græcam
 antiquam κόλιον , unde porro format κόλυβη
 & κόλυβιον : *Tenzelius* in *Colloq. Menstr.* An-
 ni 1689. *Mens. Maj.* vocem κοκκύριον deriva-
 re gaudet, à Teutonica voce (c) *Kohle*,
 addita terminatione (d) comparativâ; ut

(c) Suecis dicitur *Kol*, Danis *Kull*, Belgis, cen-
 -*Koble*, Anglis *Coale*. T. d. H.

(d) Qui illam terminationem ad vocis essentiam per-
 tinere putant, quasi κοκκύριον à κοκκύναι vel
 κοκκύνω κινέω arcessunt, illos recte *Henricus Ste-*
phanus in *Thef. L. Gr.* & *Jobus LUDOLPHUS* in
commun. ad hist. Aeth. L. I. c. 7. una cum *Jac. Gran-*
dio explodunt. Neque dubium, quin huc per-
 tineat Latinorum *color*, Anglorum *colour*, Gallo-
 rum *couleur*. Italarum, *colore*, & Hispanorum
color. Nam *fucus*, qui illinitur vel faciei, vel
 oculis nihil aliud est, quam *color*, & *fucare* est
 quovis colore tingere. Unde *Glossæ*; *fucus*,
 χρωμα . Vide *Salmasium* ad *Solinum* pag. 1143.
 Ita est *fucus* proprie *color*, quo panni & lanae
 inficiuntur L. I. C. si quae res vendi non possunt.
 Immo ipsam *sibi* videtur descendere ab *abrai-*

Runicè dicitur *Randur*, rubicundior, sic & *Kelur*, magis ater, neque id sine fundamento; cum *Morhofio* enim asserere licet à lingua Scythica seu antiquissima Teutonica, per *Pelagos*, quam plurimas voces Teutonicas ad Græcos transisse: Quanquam potiùs vocem *Kohle* derivarem à כחל *pruna*. Nam G & K Literæ, sæpius inter se permutantur, ut כחל camelus, *Kamehl*. Stibium adhuc hodie apud Arabes & Turcas, ad colorandos oculos in usu esse, testatur *Alphonsus Tostatus* ad 2. Reg. 9. v. 30. *Depinxit* (*Jesabel*) oculos quodam colore nigro, quo fæmine utuntur, ad reddendum supercilia nigra & palpebras: & faciunt magnam apparentiam palpebrarum & superciliarum quam alias: & vocatur vulgariter *Alcohol*. *Grandius* (e) refert, quod *Alcohol* (f) sit minerale varii coloris,

Fffz quod

כחל, quod notat tingere, colore induere. Unde כחל, כחל, fullo, cujus est lavare pannos, & colorare. Sic ut nomen generale, quod omne genus colorum indicabat, traductum sit speciatim ad illos colores, quibus faciem oculosque illinere solebant. T. d. H.

(e) Exstat *Jac. GRANDII*, medici *Veneti* diff. de כחל sive stibio, ejusque usu apud antiquos in re cosmetica per epistolam, in cujus exordio, de aqua *Nilotica*, deinde de stibii mentione in sacris literis, & de fucorum materia disquiritur; Illam ex ephemeribus *Naturæ curiosorum* dec. II. anni VI. p. 83-122. depromptam propediem integram una cum analectis nostris exhibere constitutum est. T. d. H.

(f) *Hispanis* eadem vox etiam nunc vulgari in usu est

quod in Oriente dicatur *Surma* : & olim
 fossile istud optimæ notæ in Bithynia, pro-
 pe urbem *Chalcedonem* inventum fuerit, lon-
 ge lateque divenditum. Commendatur
 ejus usus à Galeno : ὀφθαλμῶν δὲ τῶν ὀσίων,
 τῶ δὲ τῶ φρυγίᾳ λίθῳ χεῖρον ἐκ ζηῶν κολλυρίον,
 oculos vere ipsos corroborabis, si sicco collyrio,
 quod ex phrygio lapide componitur, utaris : So-
 let hoc stibium palpebris stylo applicatum, (ut
Grandius in Epistola ad *Ludolphum* scribit,
 cui frustulum hujus fossilis & aliquid inde
 formati pulveris stibii transmittit) elicere ex
 oculo lachrymam, unde nitescit cornea, nigres-
 cunt cilia, & vividior totus fit oculus. Vido
 Tenz. l. c.

Sunt qui asserunt, fossile illius stibii, ipsum
 esse *Antimonium*, non equidem illud in for-
 nace fusum & divenditum, sed naturale,
 quod in Oriente effoditur ; quod & ipsum
 vocis Etymon haud obscure indicat, non
 enim derivatur, (ut ludunt *Vossius* & *Mar-*
tinus) ab אַנְטִימֹן & *Moine*, sed est vox Ori-
 gine Arabica انْتَمُونِ Athimod à انتمُونِ pinguis
 evasit ; usum enim habet Antimonium in sa-
 ginandis pecoribus. Ex jam dictis patet,
 quod Phrasis dicti *Jes. 54. v. II. מַרְבִּיץ*
 : כַּפּוֹךְ אֲבִנֶיךָ *Recubare faciam in stibio lapides*
tuos : seu abundanter addam stibium lapidibus
tuis

est, ubi & alcoholar, fucare, & ALCOHOLADO,
 ficatus. Scilicet & has voces cum innumeris aliis
 a Sarracenis, Arabibusque retinuerunt. Td. H.

uis, hunc sensum habeat: Omnibus Gemmis ædificii tui dabo splendorem, ac si in stibio essent positæ. Sunt equidem qui pro Rubino militant, & dicunt פור nihil aliud esse quam גופר, cujus lapidis mentio fit inter Gemmas pectoralis summi sacerdotis Exod. XXXIX. 11. & inter lapides pretiosos, à Davide ad Templi ornatum traditos, 2. Chron. XXX, 2. & quidem eo quod פור & גופר ab una eademque descendant radice (g) & LXX. Jes. LIV, 11. פור vertant ἀνδραγωγῶν. Quamvis verò concedamus, גופר lapidem esse pretiosum, qui dicitur ἀνδραγωγῶν seu *Carbunculus*, & à carbone, flatu à favillis purgato, ejusque rubicundo colore nomen habet: neque obstet quod in *Rabbobth Bemidbar* ei tribuatur color cœli כסין רמותו שמים color ejus sicut species cœli, quia cœlum πυρροῦ ζεῖ seu rutilat vel ignescit, quando sol oritur vel occidit Matth. 16: 11. Vid. *Braunium de Vestitu Sacerd. Hebr.* non tamen consequentiam illam concedimus פור ac גופר ab una radice descendunt, ergo idem significant: Neque Rubinus tantæ magnitudinis unquam repertus, ut segmentis ejus fundamentum alicujus ædificii sterni possit. Boëtius refert quod Rubinus non ex-

Fff 3

(g) Analogia linguæ Ebraicæ id confirmat, apud quos פור & פ is *dispergi*, נפר & פור *inungere*, מול & מל *circumcidere*, פוח & נפר *est sufflare*, & פוח טו ipso sonitu halitum exprimente. T. d. H.

cedat pondus XX. Ceratiorum, & admirandi quid fuerit, quod Imperator, Rudolphus, Rubinum habuerit, qui magnitudinem ovi Gallinae aequaret: imò & ipse ego in Borussia Rubinum viderim, à *Magna Duce Moscovia*, tunc Regiomonti commoranti, Regi Borussiae donatum, qui ovi columbini magnitudinem aequabat: non tamen exigua hujus lapidis quantitas permittit, ut stratum pavimenti inde formari possit, nisi forte opere *Musivo*, quod vocant, antiquissimis temporibus ignoto: insuper versu 10. Jes. LIV. ornamento portarum tribuitur אקיה lapis *rutilans* seu *Rubinus*, ita ut unus idemque lapis vs. 11. & 12. bis recenseretur & committeretur tautologia, quae tamen serió evitanda.

Nostra igitur sententia hæc est: quod פיה hic non pro lapide sumatur, sed pro ornamento lapidum pretiosorum, tanto nitore applicatorum in fundulis suis, ac si Gemmae Diadematis pretiosi essent, firmatae ut non moveantur, depuratae ut niteant, sicut oculi stibio purgati ac colorati, ut splendeant sicut sol aurora cinctus, dum oritur.

1. Hanc interpretationem suadet Phrasis פיה אבניך כפיה *sternam in puch oculos tuos*, quae concordat cum locutione 2. Reg. 9. פיה עיניך *posuit in stibio oculos suos*, quod sane de lapide quodam pretioso intelligi

ligi nequit : Sed de fuce quo oculis nitor
rem & ornatum conciliare conabatur.

2. Ad hunc sensum collineant versiones,
LXX. ετοιμάζω σοι ἀνδραγατῶν λίθων
ut *preparo tibi carbunculi instar lapidem tuum* :
id est, faciam ut niteant lapides ædificii, Ru-
bini instar. Chaldæus, **הא אנא כביש בצדקא**,
אבני רצפתך *Ecce ego sternam in stibio lapides
pavimenti tui*. Seu ut nitor illorum instar
Carbunculi eluceat, vel splendore Hyacin-
thino fulgeat.

3. Non dicit Propheta de pavimento
quod lapide *Puch* sit struendum, ut de fene-
stris ac de portis loquitur **שמי כדור שמשתיק
ושעריך לאבני אקרה** & *portas tuas ex lapidibus gemme ruti-
lantis*, sed de omnibus lapidibus per se jam
pretiosis, ad majorem & altiorem splendo-
rem redigendis per purificationem & orna-
tum.

4. Lapis ex quo stibium paratur, per se
non habet splendorem, sed fissile est opa-
cum & friabile quo nullus pavimento splen-
dor accederet neque soliditas.

5. Ipsum nomen prodit, quod inter Gem-
mas non sit referendus lapis aliquis *Puch*,
nam cum reliquæ Gemmæ plerumque spe-
ciosa habeant nomina, vel ab Excellentia
splendore, vel à virtutibus quæ iis adscri-
buntur, hic à flatu nomen habet, tanquam
res pulverulenta flatu dissipanda, & non

nisi extrinsecus ad rem depurandam applicanda.

6. Sensus hujus dicti & *συμφη* sic suaviter concordant; postquam enim prædixerat Propheta Evangelicus Jesaias *הבלי המשיח* *Dolores ac passiones Messia*, ad justitiam æternam adducendam, & opus salutis consummandum, consolationes Ecclesiæ varias proponit, statumque Ecclesiæ N. T. & splendorem hujus Zionis pathetice exaggerat, conferendo statum Ecclesiæ veteris Fœderis, miramque ejus Metamorphosin indicando: Illam miseram, derelictam, pauperulam, sterilem, angustam, confusam, onere *ἄβαρτα* defatigatam, mutandam prædicit, in Ecclesiam liberatam, felicem, tutam, egregiis donis ac bonis dotatam, frugiferam, longe lateque se extendentem divitiis spiritualibus affluentem & gloriosam: Utque hæc Charismata abundantiora, eò vividius exprimat, Propheta, per allegoriam proponit Ecclesiam, tanquam Ædificium regale, solide fundandum, firmissime coagmentandum, & splendidissime exornandum, bonis spiritualibus, justificatione, spe, fide, charitate, vita cœlesti & communione cum Deo: & quamvis hæc gemmæ quoque ornaverint Ecclesiam V. T. quod tamen illa in Ecclesia N. T. multo perfectiore jubare debeant radiare; tunc gemmas illas priscam obscuritatem fore amissuras instar

gemmarum, quæ politæ altius radiant, instar oculorum, qui stibio purgati clarius nitent, & objecta etiam distita perfectius vident. Et hic splendor Ecclesiæ N. T. denique suam impetrabit *ἀκμήν* ultimis temporibus gloriosis, quando omnia Regna erunt Christi.

Hæc sunt, *Vir Maxime Reverende!* quæ ad quæstionem de *Lapide Puch* respondere volui: Quibus addo, ex dictis me non videre, quo cum fundamento nonnulli in hoc loco grande præsidium atque Arcanum pro lapide Philosophorum se invenisse sibi persuadere possint: Ac si Elias! aliquis Artista oriturus, qui per *lapidem Puch* metalla in aurum mutando, Gazisque exinde paratis, ad dilatandam ac illustriorem reddendam Christi Ecclesiam multum contribuere, pauperibus & egenis, viduis & Orphanis, & aliis fidelibus curis victus & amictus laborantibus, abundanter succurrere possit. Solent equidem illi qui his artibus inescati sunt, ut majus pondus suis concilient mysteriis, hinc inde in Sacris Literis per Allegorias illatas quærere præsidia, prout & in Mythologia Gentilium, artem suam latere, audacter asserunt, ast debili cum fundamento: Sacra Scriptura non modum ditescendi per talem Lapidem, ast salvandi docet, ut perficiatur homo Dei
ad omne bonum opus aptus
& idoneus. Vale.

Anonymi Conjectura de

שועלי שמשון, vulgo *Vulpibus*

Simsonis Jud. XV. 4. 5.

§. I.

VErba ipsa, in quibus rei cardo ver-
titur, ita habent: וילך שמשון וילכוד
שלוש מאות שועלים ויקח לפידים
ויפך זנב אל זנב וישם לפיד אחד בין שני
הזנבות בחור: ויבער אש בלפידים וישלח

בקדמות פלשתים ויבער מגדיש ועד קמה ועד כרם

זית. Liceat hæc ita interpretari: Quo facto

Simson deprehendit sibi que devinctos reddidit tre-

centos *Schualias*, incolas terræ *Schual*, ac

instruxit tadas, obvertitque extremitatem ligni

tadarum extremitati alteri, ex transverso

interponens singulas tadas binis ligni ignem fa-

cile concipientis extremitatibus. Hinc flagra-

re coepit ignis per *tadas*, & immisit sese in cul-

mos (a) *Philistorum*, ut incendium existeret a

meta frumenti & pergeret per culmos vineamque

oliferam. In ea enim sum sententia, *Sim-*

sonem, ut facilis fieret labor brevique per-

ficeretur sibi devinxisse trecentos viros auda-

ces

(a) קמה a קום fruges culmo insistentes, nondum

succisæ, nec humi jacentes. *Segetes* non adpello,

liquidem tum messi fruges *Philistorum* erant

aptissimæ.

ees ex regione, quæ *Schnal* vocabatur, eorumque ope siccum triticum tam culmo insistens quam succisum ac in metas conlectum incendisse, tempestate arida & ignem facile latius diffundente. Nam id omnino ex vers. i. constat, tum fuisse tempestatem messis triticeæ ימי קציר חטים, id est, tempus Pentecostale, quo in Palæstina pluviam non fuisse frequentem, sed omnino nullam, ex historia de rege ab Israëlidis expetito exploratum habemus. 1. Sam. XII. 17. (b) Magna igitur tritici pars demessionem expectabat, pars vero jam in metas erat relata non contemnenda. Stipites igitur, quales illi sunt, qui facibus inserviunt & tædis, resinosi maxime & ignis late vastantis impetum facile concipientes & circumfundentes, per agros congruenter fini suo locavit, eo situ, ut si tædas ipsas binis interponeres, duas extremitates præberent, quae vel metis frumenti vel culmis densioribus essent contiguæ, ad vim ignis latissime celerrimeque spargendam. Simulac igitur Simson & socii facem ultimam inter binos stipites accenderunt vel alia quacunque igni fundendo apta materia, incendium per tædas transversim positas, vento ferente ac favente, discucurrit, recta pergens per tædas & ex obliquo per
stipi-

(b) Conf. M. Jo. Arn. Zeitsuchs Biblischer Wegweiser
p. 174.

stipites illos utrimque extremos. Ita e vestigio plurimi patentissimique campi frugibus potuerunt nudari, ignisque flamma ventum vel ferens vel ei favens proxima quæque comprehendens ipsa quoque oliveta hausit, & immixtas vites. Non erant Philistæi tanto tamque amplo incendio delendo pares tam ob celeritatem propagationis quam ob vastitatem & diffusam locorum amplitudinem. Ipse interea Simson cum suis, simul ac ignis quaquaversum populari ac grassari cœpit, excessit ac salutem fugam quæsivit. Hæc erat illa memorabilis vindicta, ob quam feminam Philistæam sibi raptam & alii traditam a Philistæis sese repetiturum esse dixerat.

§. 2. Quocunque tandem modo Simson injuriam sibi inlatam vindicaverit, miraculum tamen in ipsa ultione absuit. Ut enim magis permittebat, quam adprobabat Deus Simsonis conjugium cum Philistæa, ita etiam eventum, videlicet sævissimam vindictam, quæ tamen videtur modum excessisse, non omnino Simsonis ratione adprobavit, sed in salutem & liberationem Israëlitarum vertit, uti solet vitia abusu libertatis humanæ admissa in variam medicinam convertere, vitia vero semper detestari. Non igitur heic ullum obteritur miraculum. Nulla vox, nulla *vocalis* labefactatur, sed omnia, quæ divi-

re sunt originis & veritatis, intemerata re-
 tinentur & sancte habentur. Nec ausim in-
 fitiari, Palæstinam caruisse vulpibus, siqui-
 dem tam sacer codex quam Hodæporetica
 secus docent. Sam. Bochartus id satis evin-
 cit (c) ita tradens: *Rem quod attinet, primo*
si quis querat: unde Samson tot vulpes nactus
fuerit? nempe trecentas, quatuor habeo, que
respondeam, unde David de suis hostibus: Pars
vulpium erat & Salomon Cant. II. 15. & Fere-
mias Thren. III. 18. proinde multa Palæstinae
loca aut circa Palæstinam a vulpibus nomen ha-
buerunt. Ut terra Sual. i. e. terra vulpis I.
Sam. XIII. 17. & Hatsar Sual seu Castrum vul-
pis Judæ urbs, Josua XV. 28. vel Simeonis Jos.
XIX. 3. 1. Paralip. IV. 28. & Nehem. II. v. 27. &
Danitarum, Saalabim, Jos. XIX. 42. sed quam
Amorrhæi occupabant Judic. I. 35. ubi Hebræum
 וּבְשֻׁלָבִים Græcorum alii reddiderunt $\kappa\alpha\iota$ $\epsilon\upsilon$
 Θαλαβιν, alii $\kappa\alpha\iota$ $\epsilon\upsilon$ $\omega\ \alpha\iota$ $\alpha\lambda\omega\pi\eta\kappa\epsilon\varsigma$. Secundo
 vulpium nomen potuit etiam completti thoës,
 animal vulpi simillimum & in Judæa valde fre-
 quens, maxime in Palæstina & circa Casaream,
 ut supra probavimus, atque ita gregarium, ut
 quandoque ducentos thoas in unum gregem con-
 venire testetur Bellonius, ita ut nullo negotio
 capi potuerint plurimi. Tertio non dicitur, nu-
 merosam Samson hanc vulpium turmam una aut
 altera die cepisse. Potuit igitur tota hebdomas,
 aut mensis, pars notabilis in eam venationem in-
 sumi

(c) Hierozoi. L. III. c. 13. p. 854.

sumi. Ue mensium unus Athenis ελαφιβολίω
dictus est, quia fere insumebatur figendis cervis,
qui immolarentur Dianae ελαφιβολίω. Quarto,
licet insignis venator potuerit esse Samson, non est
quod quisquam sibi fingat, eum trecentas illas vul-
pes solum & per se cepisse. Potuit id per ami-
cos facere, aut etiam Iudeorum universa gen-
ti, cui praeerat, aut saltem tribui suae, publi-
eam vulpium venationem indicere. Et tamen
illas cepisse dicitur: quia quod quis per alium
facit, id censetur ipse facere. Haec omnia
sua luce radiant, excepto eo, quod vulpes
Simson adhibuerit frugibus Philistaeorum
incensis. Nam, quamvis multitudinem vul-
pium Palaestinae & capturae nullam absurdi-
tatem facile concedam, strategematis ta-
men ipsius natura obstat, quo minus, hoc
loco vulpes intelligi posse, credam.

§. 3. Nam quis vulpes vel leones inusi-
tata ac difficili industria coget, ac in cau-
dis earum nectendis desudabit, via patente
promptiori, exigui temporis & certissimi
eventus, laboris vero minimi? Si quoque
cauda caudae fuisset inligata, eique binae una
cauda adnecteretur, quis inde potuit divi-
nare, quorsum vulpes fortior debiliorem
tractura esset? At quis de vaga earum fu-
ga praecipue in hanc & illam partem certus
esse poterat? Quo adminiculo impetus ea-
rum directus est, ut magis fruges intraret
quam vias, & loca vacua? Quam vero ce-
leriter

lenter, quæso, vinculo igni soluto vulpes
 fuissent elapsuræ, ignemque nimio venti
 adflatu ac cursu maxima concitatione
 extincturæ. Fac tamen, eum non
 fuisse extinctum. At quis simul aliud
 tum conligere potest, quam vulpes
 ipsas illico fuisse enecatas, antequam
 fruges adtingerent? Omni enim villo per
 omnem cutem in flammam abeunte, vul-
 pes omnino statim emortuæ sunt. Vidi ali-
 quando hujus rei experimentum in quatuor
 vulpibus, modo supra tradito institutum,
 quæ illico mortuæ concidebant. Omnino
 igitur fit vero ab simile, binarum vulpium
 connexas caudas ulla ratione posse integros
 succendere agros, si taeda binis involvatur
 caudis. Si quis nostra ætate ejus rei pericu-
 lum esset facturum, eum vetularum fieri delira-
 mentum quis ambigeret? Non mihi is vi-
 detur Simson, qui convenientiori ac certiori
 modo rem suam expedire non valuerit.

§. 4. Brevissime igitur ea sunt subjicien-
 da, quæ interpretationi meæ munimentum
 aliquod præstare possunt. **שועלים** Schua-
 litas exposui, quia vulpes notare hoc loco
 nisi insulse (1. 3.) non potest. **ארץ שועל** ter-
 ra Schualitarum non est incognita 1. Sam.
 IX. 4. (d) Merito igitur incolæ à **שועל** sunt
שועלים

(d) In hoc loco non ita legitur sed **ארץ שועלים** ad
 vero **שועל** **ארץ שועל** occurrit 1. Sam. XIII: 7. **חצר שועל**
שועל Jos. XV: 28. XIX: 3. T. J. H.

שועלים Schualitæ dicti, ut ab ארם est ארמי, ex צירין vero צירונים &c. Quos vero Schualitas commodius intelligi posse putem, jam non indicatu difficile est, siquidem Simsonis patria & terra confinis Judæ id ipsum satis indicant. In vicinia homines cogere suspiciosum erat & patebat evulgationi. Quare Schualitas ad Gilgal haud procul a Jordane incolentes intelligo. Sunt (e) qui pugillos

Strohs

(e) Id factum est ab auctore Observationis quæ inter Hallenses Tomi octavi, decimum quartum locum obtinet. Deinde ante hos viginti annos, cum aliis ejusdem farinae libellis prodiit scriptum Gallicum, sub titulo *Rénards de Samson*, ἀρουραος quidem, sed cujus scriptorem esse novimus Virum celeberrimum, qui id Germaniæ nostræ est, quod Galliæ suæ HARDULANUS. Is per שועלים intelligit *gerbiers*, sive *acervos fasciculorum*. Utramq; sententiam præter quadrigam celeberrimorum Theologorum ex illo cœtu, qui se Lutheranum vocare amat, sc. V. E. LOESCHERUM in *Decimis Evang.* T. I. L. 5. c. 6. Sal. DEYLINGIUM in *Obs.* L. I. c. 14. Fr. BUIDEUM in *hist. Eccl.* V. T. T. I. pag. 907. Matth. HILLERUM hierophytecici T. I. p. 178. singulari opera excusserunt Cl. Theologus Pomeranus *Brandanus Henricus GEBHARDI*, & meus a condiscipulatu amicus summus, Marburgensium Philologus celebratissimus Joh. Joach. SCHROEDE-RIUS, in *diff. de Vulpibus Simsonis*, quarum una Gryphisvaldiæ 1707. altera Marpurgi a. 1703. prodierunt. Contendere cum his licet de eodem argumento allegatam J. Fr. MAYERI, quæ The- sauro Amstælodamensi inserta est, & Joh. Wilh. HILLIGERI Wittebergæ, 1674. excusas disserta- tiones. Num hæc nova sententia majori successu gavifura sit, dies docebit. T. d. H.

Strohwiſche, intelligunt, ex voce *לַיִט* ſeu *לַיִט*, *אֲלַיִט*, *לַיִט*, *pugillus*. Verum ita *vocalis* mutatur, & eadem facilitate ſtramen metarum ac culmorum incendi poterat. Quod *לַיִט* *deprehendere* ſonet, id ex *Jof. VII. 15.* patet, item *devincire*, *capere*, ſeu *aſtu*, ſeu *vi* ſeu *interpoſita pactione*, uti ex ſexcentis locis conſtat. Nec de ſignificatu vocis *לַיִט* *canda*, *lis* ſuperſeſſe videtur, ſiquidem eadem *vocula* alibi quamvis *extremitatem* notat *El. IX. 15.* & *verbum לַיִט* *extremos* ſeu *averſos cædere* *Deut. XXV. 8.* *Jof. X. 9.* Nihil igitur *reclamat* *expoſitioni* *meæ* niſi *verſionum omnium fides*, quæ tamen *falli* *neſcia* *ſemper* *non* *eſt*. Quivis id *ipſum* *facile* *multis* *argumentis* *comprobare* *poſteſt*, *interpretes* *recentioris* *ætatis* *heic* & *ibi* *a* *fide* *veterum* *verſionum* *omnium*, *rationibus* *urgentibus*, *diſceſſiſſe*. Qui igitur *Hebraicam* *veritatem* *non* *immutat*, & *ad* *eam* *ubique* *cum* *noſtra* *religione* *ab* *empæctarum* *nugis*, *aliquid* *non* *prorſus* *contemnendum* *ſpirantibus*, *liberandam* *incumbit*, *is* *a* *ſervitute* *verſionum* & *jugo* *Pontificio* *liber*, *ſolumque* *codicem* *authenticum* *amplexatus* *intelligitur*, *tantum* *abeſt*, *ut* *a* *Jo. Friderico* *Mayero* *ejuſque* *ſectatoribus* *Bibliomaſtix* (f) *dicendus* *ſit*.

Claff. VIII. Faſc. V. Ggg V.

(f) In *Diſſ. de Vulpeculis Simſonis ex Jud. XV. 4. ad- verſus Bibliomaſtiges*. Vitemb. 1686. 4.

V.

*Justi Martini GLAESE-
NERI,*

Specimen Anti-judaicum

De

GEMINO *Judæorum* MESSIA.

§. 1.

Quod olim Servator ad Sadducæos, resurrectionem mortuorum negantes, illud adhuc ad Judæos, de Messia sinistre sentientes, dicendum: *πλαναθε μη ειδοτες τας γραφας* Matth. XXII. 29. Cœcitas illorum nunquam satis deplorari potest, qui oculos habent nec vident, aures nec audiunt, aperta scripturæ sacræ dicta contorquent ac plane alienum illis affingunt sensum; Hinc factum, ut hunc articulum de Messia in diversum trahant ac effutiant, quæ ipsi somniant. Quot Judæorum scripta de Messia tot varias ac discrepantes conspiciamus sententias, nescientes quò se vertant ac tutè pedem figere possint. Nos quasdam proœmii loco adducemus.

§. 2. Patres judæorum vetustissimi e. g. Targumistæ, de quibus infra, vaticinia quam pluri

plurima V. T. dextrè de Messia explicue-
runt; Nihilominus sunt quidam, qui omnia
vaticinia dubia ac incerta facere conantur,
Messiam, non quatenus in V. T. promissus,
sed quia in Cabala simul prædictus est, ex-
spectant, ac sic ipsorum traditioni orali ma-
jorem conciliant fidem, quam ipsi sacræ
scripturæ. Hæc refert Tobias Medicinæ
Doct. in Tr. quem inscripsit: מספר העולמות
או מעשב טוביה primùm Venetiis, deinde
Jesnitii 1721. recus. fol. 12. col. 2.
וקצת מארה המפרשים אמרו נככי עיקר האמונה
במשיח הוא עפי הקבלה שקבלנו כך מאבותינו
ושאין בתורה ולא ברברי הנביאים שום נבואה
שתורה בהכרח על ביאת המשיח כי כלם יתפרשו
לפי מקומם על הזמנים הנזכרים *Et quidem ex
Commentatoribus etiam dicunt, quod funda-
mentum fidei de Messia, sit juxta Cabalam, quam
accepimus a patribus nostris. Nec ulla prophe-
tia in Mose & Prophetis reperitur, qua absolu-
tè adventum Messia monstrat, quoniam omnes,
juxta loca illorum (i. e. ubi prophetiæ inve-
niantur) de temporibus commemoratis possunt
explicari. Quid per tempora commemo-
rata intelligat, liquet ex antecedentibus col. 1.
וכן יש מחכמי הגמרא שחשבו שכבר נתקיימו
כלם בימי חזקיה למך יהודה בבית שני בימי
החשמונאים *Sunt quidam ex Doctoribus Gema-
ricis, qui putant omnes (sc. prophetias de Messia
in Prophetis obvias) jam esse impletas in die-
bus Hiskia Regis Jehuda, s. sub templo secundao
s. in diebus Hasmonæorum. Et paulo post.**

עיקר כל זה הוא מוסר על הקבלה
*fundamen-
 tum hujus rei latet in Cabala.* Confer quæ
 habet Joh. COCCEJUS in Notis ad Excer-
 pta Gem. Sanhedrin p. 376. Contra hoc asser-
 tum pugnant tum veteres tum recentiores
 Judæorum Doctores qui multa adhuc de
 Messia explicant, ut ex inspectione ipso-
 rum patescit.

§. 3. Varii etiam sunt in assignando cer-
 to numero articulorum fidei fundamenta-
 lium. Ebræorum alii XIII. alii XXVI. po-
 nunt. Quidam VI. tantum enumerant ut
Drusus de tribus sectis Jud. L. IV. c. XXIII.
 p. 202. *Wilh. Schickardus* de Jure Reg. Hebr.
 c. VI. Theor. XX. p. 448. ibique Joh. Bened.
Carpzovius in notis lit. K. Maimonides vero
 in Sanhedrin Cap. Chelek fol. 18. certum
 numerum ac ordinem fundamentorum fidei
 composuit, ex quorum numero articulus
 de Messia est penultimus qui omnibus cre-
 ditu necessarius injungitur. Contra hunc
 insurgit R. Joseph Albo Hispanus a. Christi
 1400. in libro Ikkarim (ex quo nobis con-
 spectum Theologiæ judaicæ dedit M. W.
 H. F. PERTSCHUIS, Coburg. Jenæ 1720.)
 articulum hunc de Messia, qui priscis tem-
 poribus erat summus totiusque ædificii ful-
 crum unicum humanæ sortis respectu hodie
 ferè in infimum locum detrudit, atque cum
 pluribus aliis ex fidei Ikkarim s. fundamen-
 tis extrudit, istoque nomine vehementer

Maimonidem carpit Orat. I. c. III. **זה האיש לא שת לבו להבין מלת עקר ועל מה זה יכול** *Non applicuit animum iste homo, ut intelligeret quid sit vox עקר, radix s. fundamentum & quid proprie denotet.* Et cap. X. tres tantummodo articulos fidei fundamentales statuit. 1) **מיאוד השם** *existentiam Dei* 2) **מין השמים** *legem de caelo* 3) **שכר ועונש** *mercedem & pœnam.* Plura dabit Hulsius in Theol. Jud. p. 7. sqq. Manasse Ben Israel de Resurrect. Mort. L. I. c. VI. pag. 44. Sed dubium movere possent quæ Vir. Cel. Jonas Conradus Schrammius in Diff. Inaugur. De Symboli apostolici in Talmude ruderibus habita Helmstad. 1706. §. XXXVIII. p. 52. contra R. Josephum Albonem attulit, veteres per resurrectionem mortuorum totam de Messia doctrinam exhibuisse, ac consequenter articulum de Messia e numero עקרים s. fundamentorum non eximi. Ut dubium hocce removeamus, videndum quid ceteri judæorum scriptores afferant. Maimonides in Sanhedrin Cap. Chelek fol. 18. col. 2. hæc duo expressè distinguit atque doctrinam de Messia & resurrectione mortuorum in duos dispescit articulos quorum XII. agit de Messia, XIII. s. ultimus de Resurrectione mortuorum; Ergo dies Messia & Resurrectio mortuorum non sunt unum idemque. Secundo R. Josephi Albonis sententiam confirmat cit. Tobias in העולמות ac cum

eo doctrinam de Messia ex numero fundamentorum expungit fol. 12. col. 1. אבל מכל מקום אין אמונת ביאתו עיקר גדול לתורה שיקרא מפני זה כופר בעיקר מי שלא יאמין במשיח *sed ex omni loco* (loquitur de dictis ex lege & Prophetis adductis) *fides de adventu ipsius* (sc. Messia) *non est fundamentum magnum legis, quod propterea fundamentaliter errare dicatur qui non credit adventum Messia.* Et paulò post האמונה בביאת המשיח שאינה עיקר תורה שכל מי שמכחיש ביאתו לא יקרא מפני זה כופר בעיקר. *Fides de adventu Messia nequaquam est fundamentum legis, omnis enim qui negat adventum ipsius, in fundamento propterea errare non dicitur.* Ex quibus discordia illorum etiam circa hoc momentum conspicitur.

§. 4. Magna adhuc lis inter Judæos de adventu Messia, an jam venerit, s. an adhuc expectandus sit. Plurimi illum adhuc venturum sperant ac nituntur XII. articulo fidei a Maimonide conscripto, quæ verba omnibus precum judaicarum libellis repeti solent ne unquam memoria excidant. Verba hæc habentur apud Maimonidem. l. c. *Fundamentum duodecimum est de tempore Messia, nempe ut credamus firmiter, quod certo, venturus sit, neque quis existimet, eum tardare, quin, si tardaverit, expecta eum Habacuc. II. 3. Sed neque quisquam ei tempus prescribat, nec sibi varias in Scriptura lectione opiniones fingat, ad eliciendum hinc tempus adven-*

tus ejus, memor illius sapientum qui dicunt: RUM-
 PATUR SPIRITUS SUPPUTANTIUM
 TERMINOS. Porro credendum, quod ejus
 sit excellentia, & Majestas & Gloria supra omnes
 Reges, qui unquam à seculo fuerunt, prout de eo
 vaticinati sunt propheta omnes inde à Mose Ma-
 gistro nostro b. m. usque ad Malachiam b. m.
 Quisquis vero de eo dubitaverit, aut saltem
 apud semet ipsum spreverit Majestatem ejus; is
 legem abnegat, utpote qua eum apertissime pro-
 misit in Parascha Bileam (Num. XXII.) &
 Nizzabhim (Deut. XXIX. XXX.) Tandem
 ad hunc articulum pertinet, ut credamus,
 quod non sit Rex Israeli, nisi de domo Davidis, &
 ex semine quidem Salomonis tantum. Quisquis
 ergo se huic familiae opposuerit, is apostata est,
 & Deum pariter atque verba prophetarum ab-
 negat. Alii vero, Messiam jam venisse, di-
 cunt, quò referunt traditionem Eliæ, non
 prophetæ sed alterius Hasmonæis ferè co-
 ætanei, Tr. Sanhedrin Cap. Chelek fol. 97.
 col. i. חנא רבי אליהו ששת אלפי שנה היו
 עלמא שני אלפי תורה שני אלפי תורה שני אלפים
 ימות המשיח ובעונותינו שרבו יצאו מהם מה
 שיצאו Docet R. Elias, sex mille annos durabit
 mundus. Duo millia inane, duo millia legem, &
 duo millia Messiam continebunt. Sed propter pec-
 cata nostra plurima abierunt ex his, qui abie-
 runt. Idem Raschius in h. l. Messiam sub fi-
 nem quarti millenarii venire debuisse, testatur,

Vid. GALATINUS Arcan. Verit. Cathol. L. IV. c. XX. MANASSE Ben Israel de Resurr. Mort. L. III. c. III. p. 267. sq. HOORNBECK de Convinc. & Convert. Judæis L. II. c. I. p. 180. sq. Natum autem volunt Messiam eo die quo destructum est templum ut autor שבט יהודה fol. 50. Ed. Amstel. testatur: **ביום החורבן נולד משיחא** *in die destructionis natus est Messias.* Insignis locus extat de hac re in Echa Rabbati C. I. 16. fol. 68. col. 2. isto tempore sc. destructionis Hierosolymæ Messiam esse natum in **בבירת ערבא** Bethlehem Judæ, ad quod autor **מתנות כהונה** ita commentatur: **בבירת ערבא שם מקום בבית לחם יהודה** *Biras Arba est locus in Bethlehem Jude.* Idem locus in Hieros. Berachot fol. 5. col. 1. allegatur. Multum autem nugantur de loco in quo tamdiu commoretur. Nonnulli illum in horto Eden vivere autumant, alii illum ultra fluvium Sabbaticum collocant, de quo conf. **שבט יהודה** l. c. Galatinus l. c. L. IV. c. XII. Hoornbeek. l. c. L. II. c. I. p. 120. Quare autem nondum Judæis se manifestaverit, illud peccatis suis adscribunt, uti ex Eliana traditione patet, cum quibus consentiunt quæ Tr. Sanhedrin Cap. Chelek fol. 97. col. 2. leguntur: **אמר רב כלו כל הקיצין ואין הרבר תלוי אלא בתשובה ובמעשים טובים** *Raf ait. Elapsi sunt omnes termini & res non pendet nisi a resipiscentia & bonis operibus.* Eadem habet Raschius ad. h. l. quibus addendus

dusHoornebeck l.c.L.II.c.I.p.194.Buxtorf.Sy-
 nag. Jud. c.L. p. 720. Hæc impugnat Maimo-
 nides in יהודה שבט fol. 50. הרמבם כתב! שלא
 גובל משיח ביום החורבן אבל רעה לומר שמן
 היום ההוא והלאה בכול דור ודור נולד אדם ראוי
 להיות משיח אם ישראל יהיו ראויים
Rambam
scribit: non natus est Messias in die desolatio-
nis. Sed vult dicere ab isto tempore & ulterius
in unaqualibet generatione nascitur homo, qui
dignus ut Messias sit, si Israelita fuerint digni.
 Quam lubrica igitur sit fides illorum, &
 quam incerto pede ambulent, ex his dictis
 satis apparet.

§. 5. Sed recutiti adhuc absurda cumu-
 lant atque ex uno in aliud delabuntur, uno
 Messia non contenti duos sibi Messias fingunt;
 quod dogma quam absonum quã absurdum sit
 in sequentibus videbimus. Discordia illorum
 iterum in qualibet ferè circumstantia eluce-
 scit; quapropter prudentiores dogma hoc ut
 fictitium & imaginarium rejiciunt. Multi
 autem multum clamitant de gemino Messia,
 altero filio Josephi s. Ephraimi quem in bel-
 lo Gog & Magog interfectum iri Kimchi R.
 Salomon & Aben Esra ad Zach. XI. 10. ex
 veterum Rabbiorum mente commentan-
 tur; quibus adjungendus R. Isaac in חזק
 אמונה ad locum Zachariæ cit. in WAGEN-
 SEILII Telis igneis Satanæ pag. 304. sqq. &
 MANASSE Ben Israell. c. L. III. c. V. p. 283.
 altero filio Davidis, quem templum reedi-

ficatarum credunt. Meminerunt hujus duplicis Messiae Talmudista Tr. Succa cap. V. fol. 52. col. 1. quem locum adduxit Jalkut ad Zach. XI. 10. it. Raschius in Es. XI. 13. XXIV. 18. Zach. XII. 10. ibiq; Kimchi, Aben-Efra, Abarbanel in Es. LIII. &c. Targumistæ Cant. IV. 5. VII. 13. Pseudo-Jonathan Exod. XL. 11. plura adhuc loca ex Rabbiniis adduxit Jo. And. EISENMENGERUS in Judaismo detecto P. II. c. XIII. p. 722. seqq. Non autem inter se conveniunt, quisnam ille Messias Josephi filius futurus sit, an filius viduæ Sareptanæ s. Jonas propheta s. alius quispiam, de quo vid. Jalkut ad 1. Reg. XVII. 22. MULLERUS in Judaismo Lib. I. p. 945. EISENMENGERUS l. c. nescio autem qua divinatione aut phantasia R. Machir in libro אבקת ריכל P. I. p. 35. illum Nehemiam filium Husielis vocaverit: משיח בן יוסף ושמך נחמיה בן חושיהל *Messias filius Josephi, cui nomen Nehemias filius Husielis.* Superiori seculo Viri summi Christophorus CELLARIUS in Diff. de Gemino quem Judæi præstolantur, Messia & Jenensium Philologus Joh. FRITSCHMUTH in diff. de Messia confixo ad Zach. XII. 10. Joh. MULLERUS in Judaismo L. I. c. XXIII. p. 945. Anton. HULSIUS in Theol. Jud. p. 36. sqq. &c. doctissime hoc judæorum commentum jam exsufferunt. Quid obstat, quo minus & ea, quæ

quæ relicta sunt, colligamus & originem hujus figmenti detegamus.

§. 6. Vetustissimi Judæorum patres nullam plane hujus dogmatis habuere notitiam nec quicquam nobis de isto reliquerunt. Targumistæ ut Jonathan in Prophetas & Onkelos multa loca de Messia prudentissime animadverterunt ac nomen משיחא posuerunt, nihil de Messia Ben Joseph addentes. Elias Levita in suo Meturgeman & ex eo Joh. BUXTORFFIUS Lex. Talm. p. 1268. longe plura adduxit loca, in quibus Messia vocabulum reperitur, ubi Paraphrastæ unius Messia mentionem injiciunt, si nugivendulos istos Paraphrastas excipias, de quibus §. VIII. dicetur. Ex quo manifestè concluditur, veteres Judæos prorsus hoc dogma fictitium ignorasse. Quis enim sibi persuaderet, Paraphrastas istos chaldæos hæc reticuisse ac ne verbulo quidem indigitasse, si opinio de gemino Messia isto tempore inter Judæos fuisset recepta. Quod manifestum est indicium novitatis hujus dogmatis a sensu scripturæ & veterum Judæorum alieni.

§. 7. Ne autem Judæi absque ulla ratione ac fundamento duos Messias expectare videantur, provocant ad Tr. Succa fol. 52. col. 5. ubi contra omnem rationem ac consensum totius antiquitatis novum Messiam sc. Ben Joseph ex contortis scripturæ dictis elicere conantur. Verba hæc sunt: כפרה,

האראץ

לארץ משפחות וגו' הא תספידה מאי עבדתיה
 פליגי בה רבי דוסא ורבנן חד אמר על משיח
 בן יוסף שנהרג וזו אמר על יצר הרע שנהרג
 הרע שנהרג בשלמא ולמאן דאמר על משיח
 בן יוסף שנהרג היינו דכתיב והביטו אליו את אשר
 Et lugebit orbis familias &c. (Zach. XII. 12.) *Luctus iste
 cur fiet? Disputant de eo R. Dusa & Doctores. Al-
 tera pars dicit, ob Messiam filium Josephi qui
 occidendus; altera, de figmento malo, quod occi-
 dendum. Pax vero illi qui de Messia filio Jo-
 sephi occidendo accipit. Hoc enim est quod scri-
 ptum (Zach. XII. 10.) Et respicient ad me
 quem transfixerunt, & lugebunt eum tanquam
 filium unicum &c. Alterum adjumentum
 præbet nugivendus iste Targumista ad
 Cant. IV. 5. VII. 3. הרין פריקין דעתידין
 למפרקין משיח בר דוד ומשיח בר אפרים דמין
 למשרה ואהרון Duo liberatores tui, qui te li-
 beraturi sunt Messias filius David & Messias fi-
 lius Ephraim sunt similes Mosi & Aharon. Cui
 auxiliatrices suppeditat manus aliud targum
 Exod. XL. 11. משיחא בר אפרים דנפיק מיניה
 Messias filius Ephraim, qui egressurus est ex eo.
 His putidis figmentis, recentiores totam
 de duplici Messia superstruxerunt doctri-
 nam, quam funditus diruere nunc allabo-
 rabimus.*

§. 8. Quæ vero dementia ceperat Tal-
 mudistas, ut alium adhuc Messiam præter
 illum, filium Davidis, in V. T. patribus
 promissam expectarent ac filium Josephi
 nomi-

nominarent? Hoc erat antiquitatem erro-
 ris arguere quæ unum tantum Messiam pro-
 fitebatur. Quis inspiravit illis nomen Jo-
 sephi s. Ephraimi? quæ ratio? Non absol-
 vit illos, ut dicant, humilitatem, miseriam
 ac mortem Messiaë filio Josephi tribui; vi-
 ctorias vero vitam, splendorem & regium
 apparatus Messiaë filio Davidis adsignari.
 Quis ante eos ejusmodi distinctionem fin-
 xit? Targumistæ, quorum loca & paraphra-
 ses s. Præc. attulimus, sunt post Talmudici,
 fabulosi, næniis judaicis nimium addicti,
 uti patet ex Cant. I. 2. שתא סררי משנה
 תלמודא בנרשא *dedit nobis sex ordines Misch-
 na, & Talmud cum explicatione.* Autor ve-
 ro paraphraseos quinque libellorum incer-
 tus. SIXTUS Senensis Biblioth. Sanct. L.
 III. p. m. 182. BELLARMINUS de V. D. L.
 II. c. 3. Anton, HULSIUS &c. autorem R.
 Josephum Luscum s. cæcum faciunt. Sed
 sine fundamento, prout Aug. Pfeifferus Crit.
 S. c. VIII. Sect. II. Quæst. XV. pag. 265. sq.
 Joh. LEUSDENIUS Philol. hebræo-mixt.
 Diff. VII. De *Targumim* p. 51. J. H. HOT-
 TINGER Diff. III. De *Translat. Bibl. in lin-
 guas vernaculas* p. 95. & in thesibus philolo-
 gicis pluribus docuerunt. Idem de Tar-
 gum, quod Jonathani vulgo tribuitur, sen-
 tiendum, nimium quantum distat a Jona-
 thanis paraphrasi in Prophetas. Hic XX,
 aut annis natum Christum, ut multis vide-
 tur,

tur, antecessit, ille post obfignatum Talmud vixit ac vulgo Pseudo-Jonathan vocatur, quod contra *Galatinum* Arcan. Cathol. Verit. L. I. c. 3. cum Joh. *Buxtorfio* in Abbrev. p. 115. Briano *Waltono* Proleg. XII. num. II. P. Richard *Simonio* Hist. Crit. V. T. L. II. c. XVIII. *Leusdenio* Philol. Hebræo-mixt. Diff. VII. p. 47. *Cartwrighto* Præf. Annot. in Genesin, *Pfeiffero* Crit. S. c. VIII. Sect. II. Quæst. XII. p. 251. notamus. Patet hoc ex ipsa paraphrasi; meminit enim Exod. XXVI. 9. sex סררי מתניתא partium Talmudicarum; & Num. XXIV. 19. Constantinopoleos mentionem facit.

§. 9. Atque sic Doctores ante Talmud confectum nihil de gemino Messia sciverunt, sed humilia ac magnifica de unico Messia prædicarunt. Specimen dabimus illorum locorum quæ judæi plerumque pro Messia filio Josephi allegare solent. Illustre vaticinium habetur Es. LIII. quod Messiaæ dolores & mortem præsignificavit & veteres judæi semper de unico Messia explicarunt. Jonathan Chaldæus verba הנה ישכיל עבדי sic ἔξει φεζα. הנה ישכיל עבדי משיחא. *Ecce prosperabitur servus meus Messias.* Tanchuma הנה ישכיל עבדי זה מלך המשיח ירום ונשא מאד *Ecce prosperabitur servus meus. Hic est Rex Messias qui exhibetur & elevabitur & altus valde erit.* R. Alschech ipse testatur veteres hunc textum de Messia intellexisse, ita in-

qui-

רזל פה אחר קיימו וקבלו כי על מלך :
Rabbini b. m. uno ore juxta re-
ceptam traditionem statuunt hic de Rege Messia
 קוצאי פליקטא אד קאפ. ל"ג. 4. ויצא
 ה'בה נשמת המשיח ואמרו לו רועה אתה
 להבריאות ולנאול את בני אחר ששת אלפים
 אמר לו הן אמר לו אויב תסבול ייסורין למרק
 עונם ההוא דכתיב אכן הליינו הוא נשא אמר
Produxit Deus bene-
dictus animam Messia, dixitque ipsi: Visne tu
sanare & redimere filios meos post sex millia an-
norum? Respondit ipsi, volo. Porro dixit illi:
an etiam sustinebis castigationes ad abstergendum
iniquitates eorum sicut scriptum (Es. LIII. 4.)
Certe morbos nostros ipse pertulit. Respondit,
sustinebo illos cum gaudio. Plura adhuc veterum
Judæorum testimonia dedit laudatus Anton.
 HULSIUS l. c. L. I. P. II. p. 321. sq. Quibus
 adjungimus Midrasch Ruth rabba C.
 II. 14. fol. 46. col. 2. משיח נשי
 הלום קרובי למלכות ואכלת מן הלחם זו לחמה
 של מלכות וטבלת פתר בחומץ אלו הייסורין
Loquitur de re-
ge Messia, veni huc qui propinquus meus es ad
regnum & comedepanem, hic est, panis regni,
& intinge buccellam tuam in aceto, sunt castiga-
tiones, quemadmodum dicitur (Es. LIII. 5.) ipse
vulneratus est propter iniquitates nostras. Tal-
mudici ipsi verba Es. LIII. 4. ad Messiam re-
ferunt Sanhedrin cap. Chelek fol. 98. col. 2.
 רבנן אמרו חורא דבי רבי שמו שני אכן הליינו
 הוא

Magistri nostri dicunt, nomen ejus esse Leprosus, de domo Rabbi sicut dicitur (Es. LIII. 4.) Certe morbos nostros ipse pertulit & dolores nostros ipse sustinuit. R. Salomo ipse fatetur Judæorum doctores totum hoc caput de Messia explicuisse. Vid. Galatinus Arcan. Cathol. verit. LVIII. c. XV. Reuchlinus Cabala L. I. p. m. 645. Schickardus Jur. Reg. c. VI. Theor. XX. p. 474. sqq. Joh. Hoornbeek de Convinc. & Convers. Jud. L. VI. c. I. p. 407: Joh. Coccejus in Excerptis Sanhedrin p. 380.

§. 10. Ad aliud progrediamur dictum Zach. IX. 9. ubi Messias pauper & vectus asino dicitur, quod itidem Judæi recentiores de Messia Ben Joseph dictum volunt; Sed refragantur veteres, ac Messia unico Davidis filio tribuunt. Bereschit rabba ad verba Gen. XLIX. 11. fol. 113. col. 1. וְלִשְׂרָקָה בְּנֵי אֲחֻנּוֹ ita commentatur: זה שכתב בו עני ורוכב על חמור ונו hoc est, quod scriptum de eo (Zach. IX. 9.) pauper & vectus asino.. Idem testantur Commentatores ad h. l. מִתְּנוּת כְּהוֹנָה & יְרֵי מִשָּׁה Notandum vero præcedentia etiam de Messia exponi & verba : עַד כִּי יָבֵא שִׁילּוֹ de Messia explicari זה מלך המשיח hic est Rex Messias, adstipulantur quoque Commentatores citati. Ipsi Talmudistæ locum hunc, de Messia intelligunt Sanhedrin l. c. fol. 99. col. 1. ר' הילל אומ אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי הזקיה אפ רב יוסף שרא ליה

מריה לה הילל חזקיה אימת הוה בני ראשון
 ואילו זכריה קא מתנבי בבית שני ואמר גילי
 מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלך
 בא לך צדיק ונוש' הוא עניבורוכב על חמור ועל
 עיר בן אתונות *R. Hillel dicit: Israelite ali-*
um non habebunt Messiam; illo enim jam potiti sunt
 (sic אכל apud Talmudicos notionem habet
 potiundi, fruendi, ut exemplis illustrat
 Coccejus in Notis ad Exc. Sanhedrin p. 378.
 non vero devorârunt, sic haben ihn schon ge-
 fressen ut Gerson ad h.l. p. 127. 130. neque
 perdidierunt) *in diebus Hiskie. Respondit ve-*
ro R. Joseph. Condonet Dominus Hilleli. Hiskias
enim quando vixit? sub templo primo. Za-
charias vero vaticinatus est sub templo secundo
 & dicit (c. IX. 9.) *Exulta valde filia Zion, ex-*
clama filia Israel. Ecce Rex tuus venit tibi
justus & servator, pauper & equitans super asi-
num, & pullum filium asinarum. Hic Rabbi-
ni filium Josephi excluderunt & attributa re-
gis egeni & afflicti unico Servatori Davidis
filio attribuunt, ac sic magnifica æque ac
humilia de illo dicuntur. Hoc ut clarius
constet, non possumus quin adducamus ver-
 ba Sanhedrin fol. 98. col. 1. אמר רבי אלכסנדר
 רבי יהושע בן לוי רמי כתיב וארו עם ענני
 שמיא כבר אינש אתי וכתב עני ורוכב על
 חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני רוכב על
 חמור *Dixit R. Alexandri R. Jehosvam filium*
Levi objecisse scriptum est (Dan. VII. 13.) ecce in
nubibus cæli veniet sicut filius hominis; & (Zach.
 Glass, VIII, Fasc. V. H h b IX.

IX. 9.) scriptum est, pauper & inequitans asino. Si mereantur, veniet in nubibus caeli, si non mereantur, pauper & equitans super asinum. Non male etiam Saadias Gaon ad Dan. VII. 13. זהו משיח צדקינו והלא כתוב על משיח עני ורוכב על חמור אלא יבוא בענוה כי לא יבוא על סוסים כנאות ואשר כתב עם ענני שמיא והנה עם וענני השמים הם מלאכי צבא השמים זו היא רוב הנדולה שיתן הבורא למשיח *Is est Messias justitia nostra.* At nonne scriptum est de Messia: pauper s. humilis & insidens asino? Enimvero veniet in humilitate, non cum equitatu & fastu. Quod autem scribit: Cum nubibus caeli; Illi sunt angeli de exercitu caeli. Hac erit maxima dignatio, quam conferet Deus Christo. Quid clarius dici possit, non video, cum ipsi Talmudistae proprietates Messiae filii Josephi & filii Davidis unico Messiae tantum adscribant, quod R. Salomo diffiteri non potest, & evidentia loci Zachariae convictus aperte scribit, locum hunc non aliter posse exponi quam de Messia: אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח: Non est possibile locum hunc aliter exponi quam de Messia; dicitur enim (vs. 10.) & dominatur à mari usque ad mare. Quae de ceteris locis dici possent, jam notârunt Viri sacrarum literarum peritissimi e. gr. Locum Zach. XII. 10. dilucide exposuerunt & à corruptelis Judæorum vindicarunt Joh: Frischmuthus in cit. Diss. de Mes-

Messia Confixo ad h. l. quibus addas *Raymund. Martini Pug. fidei P. II, c. XI. §. X. p. 411. sqq.* ibique *Josephum de VOISIN* in *Annot. Wagenfeilium* ad *Sotam p. 68. sqq. Galatinum l. c. L. VIII. c. XVII. Veram ac genuinam Lectionem Ps. XXII. 17. vindicarunt Bochartus in Hierozoico P. I. L. III. c. 11. pag. 779. sqq. Joh. Frischmuth* *Diss. de manuum pedumque Messiae in ejusdem crucifixione, perforatione. Josephus de Voisin* ad *Raym. Martini Pug. fidei P. II. c. III. pag. 305. Joh. Müllerus* in *Judaismo L. I. c. XXI. p. 754. sqq. Pfeifferus* *Dub. Vex. p. 576. it. in Exercitatione quam dedit de Integritate vocis כָּאֵרָא* que cum aliis *Exercit. Dubiis Vex. annexa & ordine octavum occupat locum. Galatinus l. c. L. VIII. c. XVII. Thilonis Medulla p. 553. Sixtinus Amama* in *Anti-barbaro Bibl. L. III. p. 458. Glassius Philol. S. L. I. Tr. I. p. 88. sqq. Hoornbeek. l. c. L. VI. c. 2. p. 409. Joh. Pearsonius* in *Notis ad Expos. Symb. Apost. Art. IV. pag. 359. SPANHELIUS Elench. Contr. p. 595. sqq. ceterique scriptores Anti-Judaici, quorum ingentem numerum refert Hoornbeek* in *Proleg. de Convert. & Conv. Jud. p. 7. sqq. WAGENSELIUS* in *Proleg. ad Sotam. J. B. CARPZOVIVS* ad *Schickardi Jus Reg. Heb. p. 447. lit. i, qui hæc aliaque scriptura dicta de unico Messia Davidis filio adversus Apellas tuentur.*

§. 11. Quid igitur de Messia filio Josephi
 sentiendum sit, ex ipsis Judæorum scriptis
 vidimus esse merum figmentum in cerebel-
 lo Talmudistarum ortum. Neque recen-
 tiores judæi aliud refugium habent quo hoc
 defendere conantur, quam ut provocent ad
 istam traditionem. Sic R. Dav. Kimchi ad
 Zach. XII. 10. inquit: רבותינו ד"ל מירשו על
 משיח בן יוסף שיהרג במלחמה *Doctores nostri*
b. m. explicarunt hunc textum de Messia filio
Josephi in bello interficiendo. Et R. Salomo:
 ור"י דרשוהו על משיח בן יוסף שנהרג במסכת
 סוכה *Et magistri nostri explicuerunt hoc de*
Messia filio Josephi qui occidetur, de quo in Tr.
Succa. Non omnes etiam Judæi hanc tra-
 ditionem credunt, inter quos Maimonides
 Judæorum doctissimus, qui haud dubiè hanc
 priscorum traditionem pro fabula habuit;
 Messiam filium Josephi minimè agnovit, li-
 cet duorum unctorum, Davidis, unius, al-
 terius filii ipsius Messia *אל עֲשׂוֹתָא* sic dicti
 meminerit, *Hilchot מלכים c. XI. שם נבא בשני*
המשיחים במשיח הראשון שהוא דוד שהושיע
את ישראל מיד צריהם ובמשיח האחרון שעומד
מבניו. שמושיע את ישראל מיד בני עשו
(Num. XXIV.) vaticinatur de Messia gemino,
primo Davide nempe, qui Israelem è manu ho-
stium suorum liberavit, & Messia postremo ori-
undo è posteris ipsius, qui filios Israelis è manu
filiorum Esavi vindicabit. Neque etiam men-
 tionem facit Messia filii Josephi in XIII. fidei
 arti.

articulis, in quorum penultimo generatim
 Messiae meminit. Manasse Ben-Israel in
 מן קנה ישראל fol. 47. col. 2. etiam tantum
 provocat ad sapientes, Targum & Gema-
 ram Succam. Et de Resurrect. Mort. L. III.
 c. V. p. 287. *Antiqui, inquit, imaginati sunt*
sibi ante filium Davidis, ducem ac principem
populi (sc. Messiam Ben Joseph) fore, itidem-
 que provocat in explicatione ad doctores
 Gemaræ Succæ. Conf. Schickardus. l. c. pag.
 464. sqq. Hodierni etiam judæi non omnes
 hoc figmentum credunt, uti quidam Judæ-
 us inscriptis Rabinorum non mediocriter
 versatus mihi apertè confessus, se prorsus
 rejicere Messiam filium Josephi, nec quic-
 quam de eo in tota scriptura extare, ex quo
 illum credere cogeretur. Cui vero oppo-
 nebam autoritatem Talmudis quanti illud
 facerent; ad quod regerebat: Talmudistas
 fuisse homines, humanis infirmitatibus ac er-
 roribus obnoxios æque ac ceteros homines,
 nec se unquam in verba Talmudis jurasse,
 neque in posterum jurare velle.

§. 12. Rejeclâ itaque fabulâ de gemino
 Messia inquirenda adhuc nobis venit origo
 istius erroris. Hoc certissimum neque an-
 te Christum neque statim post tempora
 Christi Judæos huic perversæ opinioni fuisse
 addictos, sed tempore Talmudistarum fuis-
 se ortam, supra evicimus. Quæ igitur ratio
 eos movit, ut ad tam absurdam contra to-

tam sacram scripturam & totius antiquitatis consensum, inclinarent sententiam & eam propagare studerent? Unde ejusmodi cogitationes animos illorum subire potuerunt? Recensebimus quorundam conjecturas & sententias & examinabimus deinde & nostram subjiciemus. Receptissima opinio est, Jonathanem Chaldæum & LXX. Interpretes occasionem huic opinioni suppeditasse, dum humilia, quæ de Messia dicuntur, tanquam indigna splendore illius, mollius interpretati, alienum prorsus sensum scripturæ verbis adfinxerint, de quo conf. Christoph. Cellarius Diff. De Gemino Messia §. VIII. p. 8. BUXTORF. Synag. Jud. c. L. pag. 717. Hoornebeck l. c. LIII. cap. I. p. 239. Multa vero nobis obstant, quo minus calculum nostrum addamus. Concedamus Jonathanem & LXX. Interpretes quædam ita exposuisse, exinde nondum novus & a sensu scripturæ alienus elicitur Messias. Supra expositiones patrum judæorum allegavimus; ex quibus constat, illos etiam humilia, quæ de Messia dicuntur, de unico Messia interpretari. Et (quantum ego scio) nunquam illi, qui hoc fictitium dogma amplectuntur, ad paraphrasin Jonathanis & LXX. Interpretes provocant, quibus illud probare fatigant. Porro quæ ratio istius nominis filii Josephi? Unde illud fabricarunt? quidni aliud ipsi indiderunt nomen? Hæc & alia
ejus-

ejusmodi dubia impediunt, quo minus huic opinionioni assentiamus.

§. 13. Matth. *Flacius* in *Clave Script. S. P. II. Tr. IV. fol. 407. sq.* quem secutus *Hackspanius* Cap. II. de *script. Rabb. ad Lipmann.* p. 352. *Joh. Ben. CARPZOVIVS* in *Notis ad Schickardi Jus Reg. Hebr. pag. 460.* *SPANHEMIUS* *Elench. Controv. p. 573.* aliique novam hujus figmenti quærent originem: Veteres nempe hoc figmento duplicem Messiaæ statum delineare voluisse, exinani-tionis sc. & exaltationis; recentiores vero postea hunc statum in mera deliria conver-tisse, indeque duplicem Messiam protrusisse. Quod autem pace tantorum Virorum dixerim, hæc plane originem non detegunt. Veteres judæi ante obsignatum Talmud hoc figmentum ignorarunt, nec quicquam in eorum scriptis de duplici Messia deprehen-dimus, quomodo enim hæc duplicem Mes-siaæ statum delineare possunt? Porro cum hoc dogma cudebatur, status judæorum erat corruptissimus, falsas plane ac scriptu-re verbis contrarias fovebant de Messia ejusque regno sententias, nec quicquam scie-bant de duplici statu Messiaæ, sed terrenum expectabant regnum, quæ opinio jamdu-dum illorum occupaverat animos, & qua falsâ spe hodierni Judæi adhuc se ipsos pro-ducunt. Ne quid dicamus de ratione de-nominationis Messiaæ filii Josephi, qua sta-

tum exinanitionis adumbrare voluerunt. Alia igitur quærenda origo quæ probabilior ac statui judæorum aecommodatior.

§. 14. Aliam vero ingressus viam Galatinus l. c. L. IV. cap. I. originem, ex duplici Messiaæ adventu, altero cum humilitate ac redimendum & salvandum genus humanum; altero cum gloria & majestate ad judicandum universum orbem derivans; veteres enim hunc geminum Messiaæ adventum allegoricè tradidisse, per Messiam sc. filium Josephi & per Messiam filium David. Per Messiam filium Josephi, quem passurum, occidendum resurrecturumque dixerunt, primum adventum insinuasse, per Messiam filium David, secundum significasse, eo quod Messias ipse in secundo adventu, tanquam Rex mundi universi cum Majestatis gloria esset venturus; Inde recentiores judæos veterum dicta male intelligentes, imò pervertere conantes, occasionem sumsisse dicendi, duos venturos esse Messias. Sed & hæc nobis non satis faciunt. Loca illa quæ adduxit ex Dan. VII. 13. & Zach. IX. 9. in quibus duplicis adventus mentio fit, expresse conjunguntur Sanhedrin fol. 98. col. 1. & Jalkut ad Dan. l. c. quem adduximus. §. X. ibi duo adventus distinguuntur, hac conditione adjectâ, si digni fuerint, illum cum gloria & majestate, si vero indigni, illum pauperem & inequitantem asino esse venturum, ac sic absolutè

unum

unum tantum inferunt adventum. Deinde pugnat hoc cum hypothefi Judæorum quam tenent de Mefiæ regno quod terrenum expectant. Qua ratione etiam adventum primum cum humilitate per Mefiam filium Joſephi indigitaverint, non video. Quodnam habent fundamentum iſtius denominationis, quæ eam palliare volunt? Atque fic & hanc dimittimus ſententiam.

§. 15. Ultima ratio eſt Chriſtophori CELLARII, Viri Celeberrimi, quam nobis exhibuit cum in Diff. De *Gemino Mefia* §. VII. p. 7. tum in *Collectaneis Hiſt. Samarit.* c. III. §. III. p. 27. ſq. Putat iſte Vir Cellentiam de Mefia filio Joſephi multò antiquiorem, quam ſchiſma decem aut novem tribuum eſſe; Et ortam ex prærogativa quam Ephraim præ fratre majori Jacobi morituri vaticiniis & benedictione adeptus fuerit. Hanc poſteros præfertim poſt ſchiſionem Jeroboami ita extendiſſe, ut cum Judæ tribu etiam de prærogativa Mefiæ, quem utraque tribus ex ſua gente oriturum credebat, contenderint, illis illum Joſephi ſ. Ephraimi; his, Judæ ſ. Davidis filium fore, gloriantibus. Certamine itaque pro-
 vecto, utrumque nomen innotuiſſe. His argumentis commotus Vir Cel. Jonas Conradus SCHRAMMIUS in Diff. De *Symboli Apoſtolici in Talmude raderibus* §. XL. p. 54. ut huic ſententiæ acceſſerit. Specioſa hæc ſunt

quæ Vir Cel. attulit; nihilominus quædam habeo, quæ opponam. Non ut istam refutemus, sed ut dubia nostra tantum proponamus. Non mihi persuadere possum posteros Ephraimi hanc prærogativam ad natales Messiae extendisse, cum nullum de hac re in antiquitate (quantum nobis constat) reperiatur vestigium. Neque memini me unquam legisse tribum Ephraimi de natalibus Messiae cum tribu Judæ contendisse, peccassent contra legem, quam tamen recipiebant, in qua ex Gen. XLIX. 10. Messiam ex tribu Juda oriundum expresse asseritur. vid. Hoornbeek. l. c. L. II. c. I. p. 128. Neque ex colloquio Christi Joh. IV. cum muliere Samaritana concludi potest; *Mulier, inquit, quando Messias venerit, qui dicitur Christus omnia hæc nobis annuntiabit.* Generaliter meminit Messiae nulla mentione facta tribus cujusdam; illud enim pro certo habitum, Messiam ex tribu Judæ esse oriundum; uti Christus disertè fatetur v. 22. *ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰσραηλίων ἐστίν* *Salus ex judæis est;* ad quæ mulier nihil respondit. Si Samaritani Messiam filium Josephi ex tribu Ephraim expectassent, mulier procul dubio hoc Christo objecisset, quod tamen non factum; ac rebus sic stantibus a silentio rei ad negationem ipsius rei concludimus.

§. 16. Restat ut nostram tandem proferamus sententiam. Recensemus autem tantum.

tum modo eam, ut originem hujus perversæ opinionis ostendamus, non vero ut nugas judæorum refutemus, hoc enim esset Iliada post Homerum scribere; Nam illas narrare est, simul refutare. Errorem Judæorum de duobus Messis *ex ficta similitudine redemptionis futura redemptione ægyptiaca* natum fuisse contendimus; Quod, *sicuti* Israëlita *per Mosen & Aaronem ex servitute ægypti liberati. Ita & omnes* Israëlitas *ductu atque auspicio hujus duplicis Messie ex hac captivitate liberatum iri credunt.* Judæos terrenum Messie regnum expectare, tam notum quam quod notissimum, nec quisquam de eo, qui à limine tantum scholas judæorum salutavit, dubitat. Hinc maximum opus Messie secundum expectationem judæorum est *אשיפת הגליות* vel *אטיפת הגליות* *Reductio* vel *collectio captivitatum* & Joh. Lightfoot. Hor. Heb. ad Joh. XI. 51. p. m. 1078. pluribus refert. Huic erroneæ opinioni etiam discipulos Christi aliquando fuisse addictos testis est Matth. XX. 21. Luc. XXIV. 21. Act. I. 6. Galatinus l. c. L. IV. c. I. Ad hanc felicitatem vero non partem aliquam Israëlitarum, non certas tribus, sed omnes Israëlitas ex universo orbe collectos esse perventuros scribunt unde Sanhedrin fol. 90. col. 1. *כל ישראל יש להם חלק בעולם הבא* *Universo Israeli est portio in mundo futuro* i. e. in fruitione Messie vid. Rambam ad l. c. fol. 16. col.

col. 2. quod ut probent, varia producunt testi-
 monia. Præfiguratum hoc volunt Ezech.
 XXXVII. sqq. ubi congregatio ac restitutio
 decem tribuum ceterarumque duarum
 duobus illis lignis in unum coalitis si-
 gnificata, in quibus nomen Jehudæ, & E-
 phraim inscriptum erat it. Zach. X. 6. Mich.
 II. 12. Es. XI. 13. &c. Manasse Ben Israel de
 Resurrect. Mort. L. III. c. V. pag. 279. & in
 סקוה ישראל fol. 45. col. 1. fol. 46. col. 2. Hinc
 fol. 47. col. 1. audacter pronunciat: כל
 הנביאים כלם נבאו על גאולת העתידה
Omnes
Propheta prophetarunt de redemptione futura.
 Cui consonum ferè illud Sanhedrin fol. 99.
 אמר ר' יוחנן כל הנביאים לא נתנבאו
 col 2. אלא לימות המשיח
dixit R. Jochanan: Omnes
Propheta non sunt vaticinati nisi de diebus Mes-
sia. Multus vero est Manasse Ben Israel in
 coacervandis argumentis ut animis Judæo-
 rum solatium instillet, ne diuturnitate exi-
 lii animi eorum frangantur. Lubet hoc lo-
 co ea afferre quæ fol. 45. 46. notavit:
 ומה שאמר הנביא ישעיה' ויסיף ארני שנית ירו הוא
 בעבור שנאולת בבל לא חיתה גאולה שלימה כי
 השכטים לא חזרו לארץ ישראל אבל בגאולה
 העתידה יתקבצו כל ישראל יחיו כמו בגאולה
 מצרים לכן נאמר שנית כי גאול העתידה חיה
 שוה לגאולת מצרים בדברים רבים לכן אמר
 הנביא ירמיה כ"ג פסוק ה' כי אם ונו
Quod ve-
ro dicit propheta Jesaias: (c. XI. II.) adjiciet
secundo Dominus manum suam, ideo adjicitur,
 quod

quod redemptio Babylonica non fuerit perfecta, nam tribus (sc. omnes) in terram Israelis non redierant. In futura autem redemptione omnes Israelite se congregabunt sicut in redemptione aegyptiaca, propterea dictum, secundo futura enim redemptio in multis rebus similis erit redemptioni ex aegypto. Ideo dicit Propheta Jeremias XXIII. 8. sed vivit Dominus &c. Conf. Jer. XVI. 14. sqq. Bene notandum, recutitos redemptionem futuram cum redemptione aegyptiaca comparare, ex qua illa quae ad stabiliendam nostram sententiam pertinent, peti possunt. Locus insignis de hac comparatione extat apud Abarbanelem in Comment. ad Es. XI. XII. ubi meminit decem proprietatum Messiae, quas ut necessarias ipsius regni & futurae redemptionis conditiones pronunciat. In expositione vero conditionis nonae asserit: שתהיה הנאולה שתייה הנאולה העתידה דוגמת יציאת מצרים quod futura illa redemptio futura sit *והנאולה העתידה דוגמת יציאת מצרים* egressiois ex aegypto. Post quae haec subjungit: והנאולה העתידה תקרא נאולה שנית לפי שתתדמה לנאולה מצרים בכל הצדדים כי הנה יתקבצו שמה השבטים כלם ויצאו לחירות פוחלץ ובחול בהם הנבואה ושאר הקדושות ויתרבו האתות והמוטים Redemptio vero futura vocatur redemptio secunda, quoniam redemptioni aegyptiaca similis erit omni modo & respectu. 1) congregabuntur enim omnes tribus 2) & egredientur in absolutam libertatem 3)

requiescente super ipsis prophetia ceterisque sanctitatibus (intellige ea beneficia, quibus post captivitatem babylonicam privati sunt, quæ Arca fœderis, Urim & Thummim &c.)
 & 4) *multiplicabuntur signa & prodigia* & 5) *regnabit super istis Rex Messias.* Multum etiam huc faciunt quæ VITRINGA in Observ. Sacr. L. II. c. XVI. p. 252. sqq. de signis, quæ populus Judæus in Messia desideret, annotavit. Ulterius geminum Messiam cujus ductu ex hac captivitate egressuri sunt, comparant expressè cum Mosè & Aarone, qui populum Israelis ex ægypto eduxerunt. Habetur hoc Targum Cant. IV. 5. quæ verba §. VII. adduximus: *Duo liberatores Tui, qui liberaturi sunt te Messias filius David & Messias filius Ephraim sunt SIMILES MOSI ET AARONI*, cui adjungendus Reuchlinus L. I. Cabal. p. 644. Buxtorfius Synag. Jud. c. III. p. 29. Notavit etiam locum Manasse Ben-Israel de Ref. Mort. L. II. c. III. pag. 154. ex Midrasch Sohar Job, ubi antiqui ad similitudinem redemptionis ex ægypto in futura redemptione duos fore legatos Eliam & Messiam comprobant. Verba hæc sunt: אמרי ישראל כנאולה ראשונה כתיב שלח משה עבדו ואהרון אשר בחר בו שלח ולי חף שנים כנגדם שלח אורך ואמתך המה ינחוני אמר הקדוש ברוך הוא אני משלח שנאמר הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא הרי אחד והבן עבדי אמתוך בו בחירי

בְּחִירֵי רִצְתָהּ נִפְשֵׁי
dixit Israel, de prima re-
demptione scriptum est: Misit Mosen servum
suum & Aaron quem elegerat (Ps. 105. 26.)
Mitte nunc ad me quoque duos, similes illis.
Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsæ
deducent me (Ps. XLIII. 3.) Dixit Deus be-
nedictus, ego mittam, nam sicut scriptum est:
Ego mittam ad vos Eliam Prophetam
(Mal. IV. 3.) Hic habes unum de altero & se-
cundo vero loquens ait: Ecce servus meus in-
nitur ei, electus meus in quo sibi complacuit
anima mea (Es. XLII. 1.) Quo referenda
sunt quæ Lightfoot Hor. Talm. in Matth.
XVII. 10. p. m. 384. sqq. Wilh. Schickardi
Jus Reg. Hebr. c. VI. Theor. XX. pag. 452.
ibique J. B. Carpzovius, Joh. Hoornbeek.
l. c. L. II. c. 1. p. 206. annotârunt. Quod
illi de Elia Propheta illud nos rectius de
Messia Ben Joseph dicimus. Elias enim non
populo præibit ac dimicabit quemadmodum
de Messia Ben Joseph nugantur. Sufficit
nos comparationem ægyptiacæ redemptionis
cum liberatione per Messiam futura ex
mente judæorum indicasse.

§. 17. Istis autem duobus nominibus sc.
 Messia Ben David & Messia Ben Joseph s.
 Ephraim nihil aliud designare volunt quam
 collectionem XII. tribuum ex toto mundo;
 ita ut Messias Ben David, tum in primi tum se-
 cundi templi devastatione hinc inde per or-
 bem dispersos Judæ; Messias Ben Joseph
 de-

depulsos Israelis i. e. decem tribus a Rege
 Assyriae abductas, nec hactenus reversas
 reducat ac congreget. Denominatio Mes-
 siae filii David est notissima. Denominatio-
 nem autem Messiae filii Josephi s. Ephraimi
 malumus verbis Menasses Israelis quam no-
 stris referre, נם נוכל לומר שלכך נקרא בן אפרים שיהא
 גולד משבט אפרים ויהיה ראש על עשרת
 השבטים המכונים בשם אפרים בכל המקרא
 דונמת מלך והראשון ירבעם בן נבש שהיה
 משבט אפרים ובן יוסף נקרא לא לכד בעבור
 שבא מגזע יוסף אלא שיוסף הוא אות אמת
 ודונמת לכל בית ישראל כמו שאירע ליוסף
 מן היסורין והסגרו בבית האסורין והעלמתו מן
 אחיו ימים רבים ומן האושר יהלחה כי מבית
 האסורים יצא למלוד כן הדבר עם עשרת השבטים
 שהם סגורום וכלואים ונעלמים מכל אדם ובאחרי
 הימי יוכו להאושר וההצלחה גדולה כיוסף

*Etiam possumus dicere illum propterea vocari fi-
 lium Ephraimi quia ex tribu Ephraim nascendus
 & caput super decem tribus erit, quae in tota
 scriptura nomine Ephraim insigniuntur ad exem-
 plum primi Regis Ferobeam qui ex tribu Ephra-
 im ortus. Filius Josephi etiam vocatur non so-
 lum quia ex tribu (s. radice) natus; sed quia
 Josephus certum signum ac totius domus Israelis
 exemplum fuerit. Quemadmodum Josepho ca-
 stigations (s. mala) obvenere & carceri inclu-
 sus & à fratribus suis diu occultatus fuit; Post-
 ea vero ex sententia illi omnia cesserunt, ex car-
 cere*

ere egressus, regimen ingressus est. Eodem modo se habet cum decem tribibus qua inclusa, occultata & ab omnibus hominibus semota sunt; diebus autem ultimis (sunt dies Messiae) omnes res feliciter illis evenient sicut Josepho. Sic tandem devictis ac debellatis gentibus conjunctim terram Israelis ingredientur ac regnum auspicabuntur. Summa rerum vero ad Messiam Ben David devolvetur, qui cultum leviticum, instaurabit ac super ipsis regnabit. Magnificentiam ac Majestatem regni Maimonidis verbis ad Mischnam Tr. Sanhedrin cap. Chelek fol. 17. col. 2. proponam. Dies Messiae sunt tempus illud, quo Regnum Israelitis restituetur, omnesque in terram Israeliticam redibunt, ubi Messias Rex magnus valde futurus, suamque Regiam in Zione habiturus est. Crescet nomen ejus, & fama pervagabitur gentes magis quam Regis Salomonis, pacemque cum eo colent omnes populi, omnesque terrae ei propter summam ejus justitiam & miracula manu ipsius patranda servient. Quicumque vero ei se opposuerit, illum supremum Numen perdet, in ipsiusmet manus traditum. De hac ejus, simulque nostra felicitate omnes scripturae textus testimonium perhibent. Ceterum quoad substantiam nihil quicquam de eo, quod nunc est, immutabitur, nisi quod regnum Israelitis restituendum sit, & hoc sibi vult illud sapientum, quo nihil differre hoc praesens seculum a futuris Messiae diebus afferunt, nisi quod non amplius regnis ceteris ser-

Non ægre laturus est Doctissimus Vir, cujus calamo præmissa modo dissertatio debetur, si eadem libertate, quam sibi in alios, ut poterat jure æquissimo, sumsit, utamur. Talem enim veniam damus petimusque vicissim. Ea spe fretus, quid circa ejus de *Origine Judaicæ opinionis de Messia duplici sententiam*, mihi observatum sit, & cur putem ab eo nondum adhuc causam, quæ agitur, prorsus confectam esse, paucis aperiã.

§. 2. Primo (α) videtur heic aliquid adducendum esse, quod tempora, quibus Christus vixit, attingit propius. Nam alias, quaeri semper posset, cur non prius illa de binis Messis narratio obtinuerit? Illud enim ex quo deinceps illa orta est, illi ortum jam præbere potuit antea. Jam vero liberationes cum à Mose facta, tum deinceps à Messia faciendæ, cognitæ Judæis fuerunt ab omni retro tempore, quo hi exstiterunt. Si itaque comparatiõ inter utramque ansam dedit Judæis cogitandi de duplici Messia, & Davidis filio, & Josephi, quæ ratio est, quod non prius de eadem re cogitaverunt, per tot sæculorum spatia? cur demum, ut solide vir doctus ostendit, duobus circiter sæculis post Christi tempora primum omnium Messiaæ gemini memoria occurrit? Sed

haec non magnopere urgeo. Quin id (β) porro observo. Judaei liberationem Messiae non solum conferunt cum liberatione ex Aegypto, quam curavit Moses, sed & eam contendunt cum illâ, quâ ex captivitate Babylonicâ dimissi sunt, quae sane priori non erat minùs commemorabilis. Si itaque huc respexissent, non duo, sed tres ab illis omnino constituendi fuissent Messiae. Accedit (γ) quod Judaei dicant utrumque illum Messiam &, qui Josephi esset filius, &, qui Davidis, adhuc imposterum apparituum esse. Mosén autem jam diu diuque antea populum in libertatem afferuisse, eorum incognitum erat nemini. Illam itaque cum liberatione ultimis demum temporibus praestanda, commiscere haud facile potuissent. Porro (δ) Judaei Messiam Josephi filium fingunt sibi miserum, squalidum, ac infectum lepra, rerum omnium egenum, in praelio trucidandum, resuscitandum tamen. Non video itaque, qua ratione hinc impelli potuerint ad cogitandum de Mose, in quo contraria prorsus sunt omnia. Et, quomodo fingere potuissent, nisi toti delirantes, illum in portis urbis Romae fessurum, eum praeliaturum cum Gogo & Magogo, & quae sunt alia id genus, si liberatio Mosis illi fabulae praebuisset originem?

§. 3. Nihil (ε) *denique* omnino invenio, quod ad id, quod quaeritur, magnopere

pere faciat. Neque enim quaestionis cardo in eo versatur, ane aliquid sit, quod Judaeis occasionem dare potuit sententiam de duplici Messia ingrediendi? Illius enim possent rationes dari variae, quales ab ipso Auctore complures adductas esse legimus. Illarum haec videtur esse praecipua. Cum Judaei sc. animum imbuissent opinione de adventu Messiae, magna cum pompa, splendore, regioque apparatu apparituri, eaque apud eos & pervulgata esset & inveterata; viderent autem passim v. gr. Ps. XXII. Es. LIII. Zach. IX. 9, 10. aliaque loca, *ὄσα νόσος*, à Christianis allegari, quae de doloribus, paupertate, ignominia Messiae loquerentur, neque haec inter se conciliare, atque ita elabi possent, ad illud figmentum de binis Messiis dilapsi sunt. Sed, de eo non agitur. Id autem quaeritur? Unde illa fabula de Messia, *Josephi Filio*, (neque enim de Messia, DAVIDIS Filio nunc agitur) sit derivata, sive, ut rem verbis Cl. Glaeseneri proponam ex §. 12. *Quaeratio istius nominis, FILII JOSEPHI? unde istud fabricarunt? Quidni aliud ipsi indiderunt nomen?* Ut autem verum fatear, nihil in responsione adducta, invenio, quod rem expediat; Nihil de FILIO JOSEPHI, nihil unde id fabricatum sit nominis, nihil, cur non aliud illi indiderint nomen? Neque hinc, quod fortassis Judaei sequioribus temporibus liberationem

per Messiam comparandam contenderunt, cum illa per Mosen quondam parata, quidquam ad datas quaestiones exhibet responsi. Quid enim Mosis, nunquam uncti nomen commune habet cum Messiae nomine? quid rei intercedit Amrami filio cum illo, quem dicunt Iosephi filium?

§. 4. Circumspiciendum itaque nunc est, videndumque, ane quis inveniri possit alius, qui & Messiae titulum gessit, & Iosephi habitus fuit filius, cui pariter dolores illi, contumeliae, passiones, mors, & resurrectio praecipua denique omnia conveniunt, quae à Judaeis de illo Messia Iosephi germine dicta sunt. Cum autem sacros pandectas perlustramus, duos tantum invenimus, qui aliquo loco pariter & nomine *Iosephi* insignes fuerunt, Iosephum, filium Patriarchae Jacobi, cujus filii fuerunt Manasses & Ephraim, eumque in primo V. T. libro, Iosephum alterum, patrem Messiae habitum, eumque in primo N. T. libro. De priori cogitare heic vix licet. Eum enim Patrem fore Messiae nemo unquam sanus vel somniando cogitavit. Neque vel umbrae vestigium in tabulis sacris occurrit, ex quo ex ejus lumbis oriturum esse Messiam, hariolere. Quin, cum sanctissimus filiorum Iosephi avus bis eorum futura fata vaticino indicaret spiritu Gen. XLVIII & XLIX. nihil adtulit, quod vel aliqua veri specie huc transferatur. Immo

ex aduerso eodem tempore moriturus ad-
uentum indicat Messiae, ejusque simul
patrem, JUDAM, exserto veluti digito indicat.
Quum itaque Josephus Jacobides heic vix
queat in censum venire, ad alterum Jose-
phum transeundum est; qui Messiae dictus
sit Pater.

§. 5. Videlicet, Jesum Christum, Do-
minum nostrum cogitare vix possumus, quin
in eo Messiam inueniamus, qui JOSEPHI pa-
riter & *Davidis* filius habitus, vocatusque
fuit. Ita enim nominabant eum Judaei.
Apud Matthaeum XIII: 55. quaerunt; 'Ουχ
εὐλόγητος ἐστὶν ὁ τὸν Τεκλίον ὁ υἱός; quod apud
Luc. IV: 22. effertur; 'Ουχ εὐλόγητος ἐστὶν ὁ Ἰησοῦς
Ἰωσήφ & apud Johannem VI: 42. 'Ουχ
εὐλόγητος ἐστὶν Ἰησοῦς, ὁ Ἰησοῦς Ἰωσήφ, ὃν ἡμεῖς
δίδαμεν τὸν Πατέρα καὶ τὴν μητέρα. Ubi vide-
mus Josephum ejus Patrem dici, sicut & Lu-
cae II: 48. quod scilicet talis crederetur,
uti legitur diserte Luc. III: 23. Ἰησοῦς ἄν (ὡς
'ενομιζέτο) υἱὸς Ἰωσήφ. Unde & Philippus
Jesum, quem Messiam credebat, ostensurus
Nathanaeli ita eum describebat. Οὐ εὐρα-
ψε Μωσῆς καὶ οἱ Προφῆται (Andreas paulo an-
tea vocaverat τὸν Μεσσίαν) εὐρηκάμεν Ἰησοῦν
τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσήφ Joh. I: 46.

§. 6. Habemus itaque MESSIAM
FILIIUM JOSEPHI. Sed & habemus
MESSIAM FILIUM DAVIDIS, quem
tali nomine impertiebant Judaei. Jam

illud factum est a Targumista Jonathane qui in locis Jer. XXX: 9. & Hof. III: 5. Ubi Messias vocatur David, id nominis *משיח בן דוד* per *משיחא בר דוד* *Messiam Davidis filium.* Et eo nomine indicabatur temporibus Jesu frequenter. Talem agnoscebant Pharisei, Matth. XXII: 42. Ita ei acclamabat coecus, in eo tamen acutius cernens, quam hodie cernunt Patres suos degenerantes Judaei Luc. XVIII: 38. Immo extra communionem ecclesiae Judaicae posita mulier Matth. XV: 22. Habemus itaque & Messiam Josephi, filium, & eundem filium Davidis.

§. 7. Illi autem Messiae, qui Josephi filius audiebat, ea conveniebant fere omnia, quae de tali tradunt Hebraei. Quando enim eum vocant fore miserum, afflictum, in se futurum asino, occidendum, excitandum è morte, quis non haec quadrare in J. C. Josephi filium animadvertit? Quae de ejus lepra dicunt, ei pariter aptari possunt, instar leprosi habito, extra urbem projecto, secundum vaticinium Es. LIII: 3. 4. Certamen, quod decernendum habiturus erat cum Gog & Magog non abludunt, ab iis, quae de certamine Christi cum Diabolo & infernalibus copiis cum dracone, & serpente & ejus semine in sacris memorantur. Oraculum Zach. XII: 10. huic Messiae Josephidi applicant Judaei. Id nostro Christo Josephi Filio applicatum est

in Novi Testamenti tabulis Joh. XIX: 37.

Apoc. I: 7.

§. 8. Sunt, qui dicunt nomen ejus fore *Nehemiae*, qui Chuzielis esset Filius. *Nehemias*, נחמיה quasi יה מנחם notat vel *consolatorem Jehovam*, vel *consolatus est Dominus*. Et sic idem est, cum nomine מנחם MENACHEM CONSOLATORIS, quo Judaei Messiam indicare solent, qui & omnia per Messiam acquirenda beneficia נחמו appellant. Vide, quae in hanc rem notavi pluribus in diff. de *Oraculo Lamechi* Cap. II. §. 6, 7. Sane D.N. J.C. a Simeone dictus est *Παρακλησις Ἰσραηλ*, i. e. SOLAMEN *Israelis*, & talem se esse secundum vaticinia Prophetarum ipso opere ostendit luculentissime, propterea dictus *Παρακλητῆς*, quae vox vim nominis *Menachem* exprimit. Vide, si tanti videbuntur, quae a me eam in rem scripta sunt in allegata diff. C. II. §. 4, 5. 12. sqq. Cum autem & ille Chuzielis filius, (בן חושיאל) dicatur, id nominis, quod nusquam occurrit, neque commodum sensum exhibet, videtur perperam esse scriptum, & commutandum in בן חושי h. e. *Robur meum est Deus*, & nunc facile unusquisque videt, qua ratione, ad Jesum Christum, Josephi & Mariae filium id possit transferri.

§. 9. Ex his cum pateat, ea quae Judaei de suo Messia Josephi filio jactabant, non aliena esse ab iis, quae de JESU Nazareno, vero Messia, eoque filio Josephi, sacrae literae

enarrant, ita nunc dispiciendum est, qua ratione haec ad illa sint translata & inter se commixta. Nimirum; Rumor ille de tali, qui se Christum, i. e. Messiam dicebat, quique ut talis a quam plurimis credebatur, percrebuerat undiquaque. Eum fuisse despectum, afflictum, pauperem, perfossum, infessorem asini, necatum, excitatum e mortuis, leprosum habitum, sed & illum expectatam esse Παρακλησιν Israelis, id omnium circumferebatur sermonibus. Potuit fieri, ut quidam ex Judaeis, qui non procul erant à regno coelorum, & προσδεχομενοι την παρακλησιν της Ισραηλ, persuaderentur, illum Jesum, qui ἐνομιζετο υἱὸς της Ιωσηφ, verum esse Messiam, idque aliis etiam persuadere conarentur omni opera. Non poterat itaque non talis Messias Josephides, illorum obversari animis, quorum labris frequenter adeo infidebat. Accidere pariter & id potuit, ut quis Judaeorum, imbutus opinione, quae ea tempestate omnium animos, ipsorum adeo Apostolorum tenebat, de glorioso majestatisque pleno Messiae regno eaque audiens, quae de nostri Mesiae Josephi filio, ejusque afflictionibus enarrabantur, quem simul Davidis esse filium dicebant, cum illa inter sese amico foedere conjungere nequiret, in eam descenderet cogitationem, ea non commodius inter se conciliari posse, quam si duplex statuatur Messias, quorum unus esset Josephi filius,

filius, in quo impleta sint, quae de passioni-
 bus Messiae, divina oracula cecinerant, alter
 autem, qui Davidis esset filius, in quo omnia
 eventum nactura essent imposteriorum, quae
 de statu ejus magnifico regioque aliis praedi-
 ctum erat vaticiniis. In quam sententiam
 induci eo potuit facilius, quo plures id aeta-
 tis erant inter vel Christianos, vel Christia-
 nismum mentientes, qui nescio quae suavia
 de glorioso Christi in terris regno expectan-
 do sibi somnia finxerant. Ubi autem vel semel
 tantum unius hominis mentem ejusmodi
 error invaserat, nullo negotio fieri potuit, ut
 dimanaret ad plures, praecipue autem eum
 avide arriperent Judaei. Ea enim ratione
 reperisse se judicabant, *κρεσφύητον* aliquod,
 quo eludere quirent Christianorum argu-
 menta. Quando enim illi demonstraturi
 Jesum Nazarenum verum esse Messiam; In-
 ter innumera alia & hoc utebantur argumen-
 to, quod illi convenirent dolores & miseriae,
 juxta & honores augusti, quibus maatum iri
 Messiam divini vates annuntiaverant. Pu-
 tabant itaque se reperisse, non quod pueri in
 faba, si id possent dare responsi, negari
 utique non posse, quin angusta pariter & au-
 gusta de Messia in sacris V, T. libris praedicta
 sint, sed ea non in uno individuo quaerenda
 esse, sed duobus, futuris adhuc & praestolan-
 dis. Cumque Messiam Davidis fore filium
 iidem libri tradant, passim autem alius Mes-
 fias

fias Josephides omni populo in ore esset, hinc illa, quam tractamus, de gemino Messia fabula coorta est, sensim origine vera traditionis, quae erat Christus Josephi & Mariae filius, inter eos dispereunte.

§. 10. Neque obstat, quod Judaei complura narrent de illo משיח בר יוסף quae Jesu Christo non conveniunt. Eorum enim quaedam non omni plane destituuntur fundamento, alia mera sunt malesani Judaici cerebri figmenta. *Illorum* instar esse potest, cum dicitur, illum Messiam fore filium Ephraimi. Id quod inde ortum. Cum semel percrebuerat, Messiam esse Josephi filium, & ignoraretur heic intelligendum illum Mariae filium, dilapsi sunt ad Josephum, Jacobi filium, ex cuius filii Ephraimi tribu deinde, jactitarunt orturum Messiam esse. Quod haec adinet, & ea facili negotio potuerunt adfui. Quando enim semel fabula ivit in vulgus, vires solet acquirere eundo, comitur, ornatur, adduntur variae rerum *επισκευαί*. Quam pronum ad talia fingenda sine ullo colore, sine fundamento, sine veri specie sit ingenium gentis recutitae, nemo est, qui ignoret. Adeoque nihil nos morari debent sordidae illae laciniae, quae panno male confuto adjectae sunt. Caeterum cum ipsi Judaei, ut visum est, parum illi narrationi tribuunt, multis eorum eam prorsus negligentibus, ex eo colligas
in-

infirmo admodum fundamento totam nar-
rationem inniti, id ipsis persua-
sum fuisse Judaeis.

VII.

JOANNIS CHRISTO-
PHORI HAREN-
BERGI,

Oculus Mosis & Christi,
e monte

Editissimo Palæstinam
spectantium.

CONSPECTUS.

§. 1. Moses & Christus in multis similes, in eo etiam similia
sustinent fata, quod e monte sublimi Palæstinæ regna
prospiciant. §. 2. Moses Cananæam antea nunquam
adierat, sed perspiciebat eam in confirmationem veri-
tatis coelestis & imaginem melioris loci mox adeundi.
§. 3. Mons Nebo, cujus situs delineatur, prospectui tam
Christi quam Mosis fuit destinatus; mons vero Qua-
rentana tentationis loco non convenit. §. 4. Deter-
minatur plus minus alitudo Montis Nebo. §. 5. De-
monstratur Mathematicè, ex Nebo omnem Palæsti-
nam potuisse lustrari, & omnia ejus regna seu tetrar-
chias. §. 6. Adduntur, quæ speciatim perhibentur
à Mose & Christo esse visa.

Moses & Christus in eis discrepant, quæ ad Oeconomiam divinam habitum durum ac mansuetum faciunt, tam ratione *moris* & indolis quam foederis cum hominibus conciliandi modo. Optime vero conveniunt in patefactione novæ doctrinæ per miracula, in liberatione gentium, in educatione suorum ex oppressione & tyrannide, in institutis novis sancendis. At Moses erat nudus homo; Christus *θεανθρωπος*: Moses peccatis obnoxius; Christus sanctus: Moses liberator temporarius. Christus æternus & sempiternæ libertatis vindex. Moses mortuus, Palæstinæ non particeps, sed eminus spectator; Christus homo mortuus, ast gloriose, triduo peracto, redivivus & regni promissi ipse illico particeps: Moses, excepta lege naturali in Sinai promulgata, temporarios tradebat ritus, JESUM adumbrantes; Christus legem moralem repurgavit à sinistris interpretationibus, eam ipse implevit, animumque purum in victimam DEO offerri docuit, spiritum, non carnem sacrificiorum. Id vero inprimis jam animadvertendum est, Mosen & Christum, ad munia divina destinatos, quadraginta diebus citra cibum potumque cum solo Deo solos fuisse versatos, verboque Dei esse exsatiatos. Quanto vero erat sublimiori natura & dignitate Chri-

Christus, tanto humilior & infra ipsius Mo-
 sis, afflicti etiam, conditionem pro nobis de-
 pressior factus est, a Satana ipse adtentatus,
 quod de Mose nusquam perhibetur. Quod igitur
 Deus Mosis præstitit, ire hunc jubens in
 montem altum, ut Judæam eminus contem-
 plaretur, ejusque excellentiam, id Christo a
 Satana evenit, quippe qui svavisimum serva-
 torem in montem editissimum adduxit, ut
 spectaret orbem judaicum ejusque splendo-
 rem & dignitatem. Quare, ut una ex fidelia
 duos dealbarem parietes, Mosis & Jesu con-
 templationem, quæ Judæam pro scopo ha-
 buit, cominus contueri suscepi. Non ignorant
 equidem periti rerum arbitri, terminos visio-
 nis ex Geographia ac Trigonometria esse ex-
 plicandos, visionis vero leges ex doctrinis
 Opticis. Nemo igitur succensēbit, quod
 materiam hanc de intervallis in superficie
 globi terrestris ex consultis Mathematico-
 rum curatius eviscerare tentaverim. Sicubi
 nonnullis obscurus forte videar, ei ejus rei
 culpam in me non transferent, siquidem heic
 quævis rudimenta Mathematica ab ovo or-
 diri nequeo. Ubi Mosis spectationem co-
 minus spectare contendi, in id juxta incum-
 bam, ut Jesum ex eodem monte Nebo Judæ-
 am adspexisse ostendam. Non vero non fa-
 teri possum, Jesu non unum Judææ regnum
 adparuisse, sed ipsam quoque Nabatæorum
 regum.

regum sedem, Petram, (a) cum ipsa, Trachonitide, fortassisque regno Abilenes & Chalcidico in Libani montibus sito.

§. 2. Quantum igitur ad contemplationem Mosis adtinet, ea supervacua videri posset illis, qui non ignorant, Mosen jam antea fines terræ, Israëlitis destinatae, recensuisse. Num. XXXIV. 2 - 12. videlicet ab alveo, qui Aegyptum a Syria determinabat, seu lacu Sirbonidis ad extremam australem maris asphaltitici partem, inde per Jordanem ac confinia tribuum Gad, Manasse & Ruben, ad ortum vergentia; versus Antilibanum, inde Heliopolin, juxta quam (b) Orontes oritur, & ad terminum eorum circa Posidonium, quæ mare inter & Orontis alveum sunt posita. Ad vero Mosen jam olim invisisse Cananæ ac Coelesyriæ oras, nunquam ulla ratione solida comprobabitur. Adparet id ipsum ex vita Mosis ante acta & legatorum duode-

cim

(a) Plinius L. VI. c. 28. Petram tradit abesse a Gaza DC. mill. pass. a sinu Persico CXXXV. mill. Cellarius in *Notitia orbis antiqui* T. II. p. 418. & Relandus *Palest.* L. III. p. 932. numeros esse permutatos credunt. At priori loco mihi LX. rescribendum videtur, quia Petra in vicinia Kadeset & montis Hor, inter Phunon & Zoaram fuit sita, docentibus Eusebio & Hieron. in finibus australibus Judææ, teste Hegesippo *de excidio urbis Hieros.* L. I. c. 14. Ex hac ratione inter Nebo & Petram recta interjacent l. gr. 42. min. Rem alibi fusius ostendam.

(b) Hæc singula fusius demonstrabo in *Geographia Pentateuchi* Sect. II.

cim emissione in Cananæam, qua supersedere potuisset, Moses, si eandem terram antea jam lustrasset. Adde quod palmarium potuisset legatis illis decem formidolosis in conspectu populi apponere argumentum, ex sua experientia & inspectione depromptum ac derivatum. Deus igitur erat, qui Mosi ostendebat illam finium terræ promissæ delineationem intra animum conspicuam, ratione quidem mandati, non autem figuræ. Præstat tamen, rem sub oculis cadentem inspicere, si fieri possit, quam nudo auditu vel patefactione interiori citra figuram comprehendere. Quocirca major Mosi clariorque notio ingenerari poterat ex lustratione Cananææ, quam ex nuda aliunde suggesta urbium & terminorum denominatione. Quocirca, antequam Moses in sublimiorem regionem & meliorem civitatem, quæ manu humana non est exstructa, eveheretur, imagine etiam ipsa typi seu Cananææ terrestris erat solandus. Certissimum nobis fata Mosi suppeditant argumentum, piis majora superesse post mortem gaudia, quam quæ temporarius mundi decor conciliat, ideoque a fidelibus Vet. T. vitam quoque sempiternam avidè fuisse expetitam & sanctè creditam, uti Cel. Crofa (c) nuper venuste docuit.

Class. VIII. Fasc. V. Kkk §. 3.

(c) In Diff. de mente humana Groningæ 1726. in 12 Sect. III. §. 51. p. 253. 199.

§. 3. Mons Nebo, pars Pisgæ, trans Jordanem in Moabitide adjecta, quæ Gaditis postea cessit, erat specula, unde Moses, iuxta divino Cananæam eminus prospiciebat. Josephus (d) eum vocat *excelsum & contra Jerichuntem situm*, τὸ το ὑψηλὸν Ἰεριχυντὸν ἀντικρυς κεῖται. Jungitur etiam cum Libano & Baschan, montibus altissimis, Jer. XXII. v. 20. Eusebius in voce Ναβαυ cum ὑπὲρ τοῦ Ἰορδανῆν *supra Jordanem* contra Hierichunta, in sexto miliario urbis Esbus contra orientalem plagam locat. Simul etiam in voce Εσσεβων docet, Esbunta viginti à Jordane millibus fuisse disjunctam. Nebo igitur XIV. millibus passuum a Jordane fuit remotus. Nomen ei adhæsisse videtur ex nomine idoli *Nebo*. Esa. XLVI. 1. a quo Babyloniorum quoque reges *Nebucadnezar, Nebusaradan, Nabonidus, Nabonassar*, aliique adpellati sunt. (e) Mercurium designat Nebo a נבא dicere, *pradicere, pronuntiare futura*, quod Mercurio conveniebat. Eandem sententiam confirmat Abulpharagius (f) Chaldæi olim in Syria incolentes, omnino stellam Mercurium magni faciebant, (g) quia sibi videbantur esse *sub virgine & Mercurio*, scientiarum

(d) *Ant. L. IV. c. 7.*

(e) Jo. Seldenus de *DIs Syris Synt. II. c. 12.*

(f) *Dyn. IV. p. 73. Arab. 47. Lat.*

(g) Th. Stanl-jus de *Philos. Chald. Sect. II. c. 20. p. 1138. ed. Lips. Hist. Philos.*

rum dominis, (h) & Mercurius erat cum ceteris planetis interpret futurorum, (i) Nollet quis suspicari, quæso, hanc de Mercurio notionem non quadrare in ævum Mosis, siquidem jam Mosis ætate stellarum cultus penes Syros & Cananæos erat vulgatissimus, uti ex permultis interdictis astrolatriæ oppositis liquet, & nomine DEI צבאות יי
Ens illud, quod condidit stellas.

§. 4. In eundem montem JESUS adductus mihi esse videtur. (a) Nam in Jordane circa eum tractum idem à Johanne fuit unda sacra imbutus, juxta Bethabara. Joh. I. 26-28. Hieronymus. (k) *Bethabara trans Jordanem, ubi Johannes in poenitentiam baptizabat unde & usque hodie plurimi de fratribus, hoc est, de numero credentium, ibi renascentur, vitali gurgite baptizantur. Dicitur Beth - bara Jud. VII. 24. A transitu עברת בית עברה omnino dicitur, ideoque Jordane*
 Kkk 2 da-

(h) Idem c. 17. l. c. p. 1139. &c. p. 83.

(i) Diod. Sic. L. II.

(a) Sententiam Viri Cl. Isebrandi Eilhardi *Harckenrothii* de hoc monte exhibet Cl. VI, fasc. V, diff. 6. Ea mihi occasionem præbuit ibidem diff. 7. meas cogitationes expromendi. Ecquis nostrum rem acu tetigerit, id benevolus Lector arbitrabitur. T. de H.

(k) T. IV. de locis Hebr. Hebr. fol. 126. 1. ed. Froben, Basil. 1516. fol.

danes ibi vado (1) vel scapha transmitti potuit. Ostenditur nostra ætate locus ille haud procul Hierichunte. (m) At in mappa geographica, quæ Mastrichtiano Nov. T. codici inserta est, ad boream est protrahendus, ut intervallum ejus a Lacu Tiberiadis unam tertiam constituat, pars vero vergens ad asphaltiten reliquas duas tertias. Id certum est, eum tribui Gad annumerandum esse, ex fide illius mappæ. At vero Relandus jam pulcre monuit, uti res ipsa quoque docet, Gaditarum & Rubenitarum sedes fuisse permixtas. Ubi situs ex sacro codice & Eusebio ac Josepho incertus est, eum ex

com-

(1) Negat id quidem *Maundrellus* in *Itinere suo in Palestinam* p. 114. addens, Jordanem admodum LX. pedes esse latum, sed id de uno loco tradit & de tempore XIII. Mart. unde res ipsa non negatur.

(m) Petrus della *Valle in Hodoeporetico* vers. Germ. Pars I. p. 153. ed. Genev. 1674. fol. Joh. Lightfootus in *Disquis. chorographica Joanni præmissa* c. I. §. 5. p. 914. ed. Carpzov. Bethabara juxta & prope trajectum cythopolitanum locat. At 1.) Trajectus celeberrimus & frequentissimus erat adversus Jerichuntem 2. Sam. XIX. 18. 2. Reg. II. 8. Ergo transitus ille tanquam potior illico menti sese ingerit. 2.) Ex Jud. VII. 24. liquet, quod Ephraimitæ montani Midianitis occurrere debuerint & occupare aquas usque Bethbarah & Jordanem (i. e. Jordanem ad Bethbarah, locum transitus.) At Midianitarum via per trajectum instituebatur Hierichuntinum, uti ex situ regionis illorum facile patet.

commoditate multa adpellandi loca ab actu
& heic a transitu conligere dabitur. Qua-
re quum supra & circa lacum asphaltiten
solemnis & frequentissima fieret Jordanis
transitio, ideo *Bethabara* ibi statuisse ac lo-
casse, non erit insulsum. Mons quidem il-
le *tentationis* ad Hierichuntem hodie osten-
ditur. (n) Sed ex vana Monachorum com-
memoratione, qui pleraque in Palæstina
contra fidem veterum sola auri vel sancti-
tatis fictæ amore demonstrant. Nam quis

Kkk 3 cre.

(n) Petr. della Valle l. c. H. Maundrellus, in *gant
neuer Reise-Beschreibung nach dem gelobten Lande.*
vers. Germ. 1706. 8. Hamburg. p. 109. Voyage
de Mr. de Thevenot de Levant en P. I. L. II. c. 4.
p. 615. *Nous partimes du camp sur les dix heures du
matin, pour aller à la dite montagne de la Quarantaine
eloignée de la ville de Jerico d'une lieue (fran-
çoise,) elle est ainsi dite, à cause que Nôtre Seigneur
au sortir du Jordain y alla passer quarante jours &
quarante nuits sans boire n'y manger: elle n'est pas
tant difficile à monter, que quelque uns ont voulu di-
re, si non en quelques endroits, qui sont tout-a-fait
pevilleux, car il faut s'agripper des pies & des
mains à la roche, qui est lissée comme du marbre,
& quand nous y passames, il pleuvoit, ce qui la
rendit encore plus glissante, mais on s'aide les uns
les autres. Nous vinmes au lieu où nôtre Seigneur
jeuna quarante jours, c'est une grotte - - Il y en
eut quelques uns de nôtre compagnie, qui monterent
tout au haut de la montagne, au lieu ou le dia-
ble porta N. Seigneur - - Il y a des passages si pe-
villeux, que le danger y est très-grand, n'ians pas
deux pies de large, avec un grand precipice à côté.*

crederet, montem eum esse altissimum, quem
 veteres montibus editissimis haud annume-
 rant? Convenientius ille mons intelligitur,
 in vicinia Bethabaræ, quem Jeremias & Jose-
 phus talem esse plane docuerunt. Novi-
 mus præterea, diabolum certasse de corpo-
 re Mosis, quod omnino in locum sepulcri
 Mosis ad Nebo optime quadrat, ubi Mosis
 memoriæ recolendæ aptissima sese præbe-
 bat occasio. Et quid, quæso, in simiam Dei
 magis quadrat, quam imitatio divini ductus,
 quo Moses ex Nebo Palæstinam ejusque am-
 plitudinem perspexerat? Impudentissimus
 ad hæc impostor Deum superaturus esse vi-
 debatur, ubi id Christo promittebat, quod
 Deus Mosis denegaverat. Quod ipsum dum
 cogito, non possum non in montem Nebo
 conferre mentem & oculos. Eandem olim
 ibi Satanas luserat fabulam, dum ad montis
 radices Israëlitas in sui adorationem pertra-
 cturus erat. Baal Peor enim, seu Venus do-
 mina, diabolicum erat idolum, diaboli in-
 stinctu conditum & honoratum. Ad hæc
 conveniebat instituto, extra Palæstinam sta-
 re, ut ea ostenderetur. Qui enim domum
 subindicant & ostendunt, id extra ædes face-
 re solent. Ea enim plerumque vocis *δεικνυειν*
 obtinet significatio, ut manu sublata vel di-
 gito exserto rem designare aliquantulum
 remotam denotet. Adde quod Satanas
 Christo *omnia regna mundi* monstraret, quo-
 rum

rum nonnulla conspici poterant in finibus Palæstinæ, in ipso vero Palæstina vix ultra unum. Mons sane ad Hierichuntem, uti peregrinatores sacri memorant, præceps factus est, at non adeo excelsus, nec in verticem usque adscensui patens, unde finxere fabulam, Jesum a diabolo in fastigium editissimum verticemque latum fuisse, quasi potestati hujus omnino obnoxium & satana impotentiorum. Si ad Marcum nos conferimus, is c. I. v. 13. de JESU tradit, quod a Spiritu eductus fuerit eis τὴν ἐρημὸν in locum desertum sterilemque, ubi fuerit XL. dies, ubi fuerit tentatus a cacodæmone, ubi fuerit cum feris bestiisque versatus. Si igitur in memoriam revocaverimus, eremos Judææ oppidulis vicisque sparsas & ovium pastu frequentatas fuisse, (o) tum omnino solitudinem ejusmodi, quæ feris bestiisque scatebat humanoque vacabat cultu, penes infectos & latrociniis tum cuncta turbantes Arabas quærere oportet. Montes enim Palæstinæ rigidissimi ac abruptissimi a Judæis olim varia (p) arte colebantur, ut butyrum ex petris redundaret. Ultra vero Jordanem in

Kkk 4 mon-

(o) Vir Celeber. Theodorus HASÆUS in hac Bibl. Class. I. Fasc. 2. pag. 123. sqq. Jo. Lightfoot in Centuria Chorographica Matthæo præmissa c. II, pag. 25. sqq. & ad Matth. II. I. pag. 210. sq. ed. Carpozov.

(p) Maundrell. l. c. p. 89.

montium ac arbuſtorum latebris plerumque omnia latronibus erant obſita & obſeſſa, qui, aliquando ad paſcua montoſa Hierichuntis etiam Judæum occidiſſe, a Chriſto dicuntur. Alium quidam Palæſtinæ noſtræ & ſuperioris ætatis attribuunt locum jejuniſ Chriſti & lapidibus, quos Satanæ poſcebat in panes mutari; videlicet illam rupem Hierichuntinam maxime præruptam, cujus in latere uno inſit ſpelunca inſtar domicilii; alium demonſtrationi regnorum mundi vindicant, videlicet ejusdem rupis verticem, quem ægre vix aliquis adſcenu contingere poteſt. Mons ipſe vocatur a quadraginta jejuni diebus *Quarantana* ſeu *Quarantaine*. At illud plane ab omni verosimilitudine abhorret, in eo Satanam regna Palæſtinæ omnia oſtendiſſe. Quomodo enim ibi eſſent perpetuo *ſneæ beſtiæ*, eæque fortaliſſis venenatæ (q) prætereaque nulli homines per quadraginta dies, ubi uberrimus lætiſſimusq; campus Hierichuntem uſque per leucam Gallicam porrigitur? (r) Nec id de nihilo eſt, in ſummo cacumine extare veſtigia alicujus conlapſi cœnobii. (s) Quum enim mons ipſe

(q) Eam enim *ſneæ* notat Act. XXVIII. 4. & apud medicos Græcos, unde *ſneæana* dicuntur remedia ex venenatis beſtiis parata.

(r) Thevenot dans Voyage de Levant L. II. c. 41. p. 614. 615. ed. Paris 1689. 8.

(s) l. c. p. 615. 616. *Il y a tout au haut encore quelques*

ipse larga sæpius pluvia humectetur, uti Thevenotus suo tempore expertus est, ac inferius leniter sit acclivis, in vertice vero cœnobio sedem præbere potuerit, quid tum probabilius est, quam ovibus, viti serendæ, & balsamo, quod in planitie Hierichuntina ad hunc montem olim proveniebat, (t) montem ipsum ejusque cacumen & radices fuisse destinatas? Accedit quod mons Nebo aptissimus sit prospiciendo Cananæo situ omni, inde ad Dan, ad mare magnum, ad Libanum seu potius Antilibanum, & terminum australem ab extremitate maris asphaltitici ad Aegypti confinia, quandoquidem id de Nebo & inde facta Mo-
 sis contemplatione aperte patet. An Quarantana tanta fuerit altitudine, haud facile comprobaveris, quippe in vertice cujus olim habitari potuit. Verum præalta montium cacumina à frigore nocturno & nive

Kkk 5 bru-

ques restes d' un ancien Convent, qui y etoit autrefois.

(t) Jam enim nullus opobalsami frutex ipse est reliquus, teste della Valle l. c. p. 153. Nam Judæi eum sub Tito vastarunt. Plinius L. XII. c. 25. *Savere in eandem Judæi, sicut in vitam suam. Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice est.* Romani eum transtulerunt in Aegyptiorum maritimam teste Strabone. L. XVII. T. II. p. 601. unde Turci jam illius fructum seu succum potius divendunt, autore A. Gislenio *Busequio* Ep. legat. IV. p. 359. 390. ed. Amstelod. 1660. 12.

brumali nimis ibi infestantur, tantum abest, ut domicilium mortalibus præbere possint. Verosimillimum proinde est, Christum ex Nebo regna omnia Palæstinæ perspexisse, quia Paneada usque, caput Trachonitidis ac Philippi: Tiberiadem regiam Herodis Antipæ: Hierosolymam Pilati procuratoris, qui tetrarchiam Archelai tenebat, sedem prospectus inde patebat. Adde montis non habitati faciem sævam & humano cultui non faventem.

§. 5. Jucundum esset cognoscere penitusque habere exploratum, quanta montis Nebo fuerit altitudo. (u) At quia ea a nemine percognita memoriæque mandata esse legitur, instituendus est labor per *methodum regressus* ex distantia oppidi Dan ad Nebo. Nam quum Moses eo usque prospexerit, altitudo montis quoque tanto prospectui fuit accommodata. At distantia à monte Nebo ad oppidum Dan æquatur uni gradui & triginta minutis primis, i. e. 90000. passibus

Ro-

(u) Ostendi vocem נב & הן habere significationem altitudinis & eminentia Cl. VI. Fasc. V. diss. 7. §. 6. Quidni & hinc ἵεροβομ nomini Nebo petendum est? Hinc & videtur arcessenda origo vocis נבאי, qua primum viros dignitate, & virtute eminentes indicarunt; Ubi eo sensu videtur dictus Abrahamus Gen. XX. 7. & omnes Patriarchæ, Ps. CV: 14. 15. ubi regibus æquiparantur. Deinde autem ad prophetas, & amicos Dei translata est. T. d. H.

Romanis, seu XXII $\frac{1}{2}$. mill. Germ. quorum unum 4000. passus Romanos continet. Hoc ita trado ex intervallo curatissimæ tabulæ, quam D. Hadrianus Relandus dimensus est & fabricavit. Jamdudum vero construxi mappam novam, observationibus Chazellii & de l' Isle superstructam, ubi mare mediterraneum inde a Joppe recta in boream procurrit cum ipso Phoenices littore iisque ad Ostium Orontis, quod ipsum ex long. & lat. Alexandria, Cairi, Pellussii, Tyri, Aleppi cuique ostendere valeo. Ex hac mappa intercapedinem aliquanto majorem esse didici, videlicet CXXI. mill. pass. Rom. id est XXX $\frac{1}{4}$. mill. Germ. Quia igitur ex calculo paullo post dando prospectus ex monte, cujus altitudo ad perpendicularum est unius millaris Germanici, ad intervallum 42 $\frac{1}{2}$. mill. Germ. patet, ergo intervallum 30. mill. Germ. secundam *regulam auream*, exposcit altitudinem montis, quæ tendit per perpendiculari mensuram ad 2847 $\frac{1}{17}$. pass. Rom. Id vero non est negligendum, ad Dan & Paneada editissimum eminuisse montem *Panium*, ubi Christus gloria cœlesti adfectus est, (x) qui omnino potuit prospici, licet montis Nebo altitudo non multum ultra mille pass. Rom. extiterit. Pli-
nius

(x) Joh. Lightfoot in *Horis ad Marc.* IX. 2. p. 624. sq. ed. Carpz. Hadr. Relandus *Palestina* L. I. c. 51. p. 334-336.

nus (y) admirandam Casio, Syriae monti, altitudinem tribuit. *Cujus excelsa altitudo quarta vigilia orientem per tenebras solem adspicit: brevi circumactu corporis diem noctemque pariter ostendens. Ambitus ad cacumen XIX. M. P. est, altitudo per directum IV. Celeberrimus post fata Cassini altitudinem montis Canigoa altissimi invenit 1400. pert. Gall. referente Comite de MARSILLI, (z) i. e. 8695 $\frac{1}{3}$. ped. Rhen. Nam pertica una Gallica (Toise) facit sex pedes Parisinos, unus vero pes particulas 1440. Quare 1440. particulae reddunt 8400. pedes ejus modi, & hi ipsi 12096000. particulas. Porro particularum talium 1391. constituunt pedem unum Rhen. ac, ubi utrumque in sese dividendo duxeris, emergunt inde pedes Rhenani 8695. circiter. At milliare Gallicum majus, quod est $\frac{3}{4}$ unius majoris Germanici, complectitur 15000. ped. Rom. ut ideo mons ille altus fuerit $\frac{173}{300}$. mill. Gall. seu admodum dimidium miliare Germanicum. Non multo altior fuit Nebo, si in planitiem Dan Moses prospicere potuit. At quia id non erat necessarium, dimidium miliaris Germanici tractui ad Dan videndo & eminus cognoscendo utique suffecit. Praeterea calculus ille, quo altitudinem montis Nebo ex intervallo a Dan determino, id ipsum ponit*

(y) *Hist. Nat.* L. V. c. 22. conf. Solinus c. 49.

(z) Dans *Histoire physique de la mer & inde AÛa L. rud. Germ.* P, CXIV. Art. I. p. 367.

ponit, quod diameter telluris polaris sit æqualis diametro axis sub Aequatore. Si vero ponamus, polarem illam (a) se ad diametrum Aequatoris habere, ut 692. ad 689 tum $\frac{1}{4}$ (& paullulum ultra) unius mill. quod 5000. pedes Paris: continet, pro majori declivitate loci Dan inde comprobatur, quam est ea, quæ ex exacta terræ rotunditate adsumitur. Quanto igitur depressior erat ora borealis, tanto patentior & longior erat prospectus.

§. 6. Ut igitur ab eo, quod capitis & principii loco posui, ordiamur, prænotandum est, intervallum à Nebo ad Dan esse milliarium Germanicorum XXIV. vel potius XXX. eam vero intercapedinem, quæ mari mediterraneo & monte Nebo terminatur, milliariibus XVI. Germanicis esse æqualem. Porro diameter telluris censetur esse pedum Parisiensium 39391077. ex diametri ad peripheriam *ratione Metiana*, & hinc semidiametrum 19695539. ped. Paris. unde unus gradus continet 343752. ped. Paris. unum vero

(a) Conf. Scheuchzeri *Physica* P. II. c. 6. §. 13. præcipue c. 14. §. 12. p. 114. sqq. *Histoire de l'Academie Royale* 1701. p. 180. Villemont *Syst. des Planetes* p. 186. Newton in *Philos. nat. Princ. Math.* L. III. p. 378. sqq. ed. Amstelod. 1723 4. Hugenius dans *discours sur la cause de la pesanteur* p. 113. sqq. *Celeb.* Christ. Wolfius *Phys. Dogmat.* P. III. c. I. §. 182. & ejus interpres Cl. Ludov. Philip. Thümmigius in *Instit. Philos. Nat.* P. III. c. I. §. 117.

vero milliare Germanicum, decima quinta unius gradus pars, 22916 $\frac{2}{3}$. ped. Paris. Jam ad rem ipsam accedamus, oportet. C esto Nadir seu meditullium terræ. BC & DC funto semidiametri telluris. BA esto altitudo montis; EA altitudo oculi à superficie terræ. Sit igitur EA longa 5. ped. Paris. pro altitudine oculi, qui nondum 2 $\frac{1}{2}$. ulnarum longitudinem æquant, adeoque pro statura Mosis facilius contractiores quam largiores sunt. Ut igitur inveniamus distantiam DB, ad quam visus in superficie maris vel terræ pertingit, altitudo montis & oculi addatur semidiametro telluris BC, quæ est 19695539. quum proinde in triangulo A & ad D rectangulo latera AC & DC dentur, inveniatur angulus DCA, quem metitur arcus DB, hoc modo per præcepta Trigonometrica, posito, montem Nebo fuisse altum uno milliari Germanico.

$$\begin{array}{r}
 \text{CA. } 861. \text{ CD. } 860 \text{ -- S. T. } 100000000 \\
 \phantom{\text{CA. } 861. \text{ CD. } 860 \text{ -- S. T. } 100000000} 29344984 \\
 \hline
 \phantom{\text{CA. } 861. \text{ CD. } 860 \text{ -- S. T. } 100000000} 129344984 \\
 \phantom{\text{CA. } 861. \text{ CD. } 860 \text{ -- S. T. } 100000000} 29350031 \\
 \hline
 \phantom{\text{CA. } 861. \text{ CD. } 860 \text{ -- S. T. } 100000000} 99994953
 \end{array}$$

Prodeunt hac ratione 87. 14. pro angulo A, quem si subtrahas a 89. 60. inde emergunt 2. 46. Sed unus gradus facit XV. mill. Germ.

Germ. & quatuor minuta unum mill. Germ. ut ita ex Nebo ultra Dan prospectus patuerit per planitiem ad $42\frac{1}{2}$. mill. Germ. Si vero ritu altiorum montium Nebo eminuerit $\frac{3}{4}$. mill. Germ. & $\frac{1}{4}$. milliaris, quod 5000. pedes Parisinos complectitur, ex inæqualitate (b) diametrorum terræ pro majori depressione ad polos addatur, prospectus tamen ultra 30. mill. Germ. patuit, adeoque ex Nebo, altissimo vertice, licet claritas radiorum sensim decreverit, adjuta tamen ope refractionis vernalis Mosis, autumnalis Christo, tum tractus & oppidum Dan adtingi visu potuit. Data igitur distantia DB ex Nebo in Dan XXIV. mill. Germ. ad quam objectum majus videri debebat, inveniemus altitudinem ejus AB, ut adpareat, tantam altitudinem, quam monti Nebo dedi, non requiri ad prospiciendum in Dan usque. Ut hoc fiat, distantia DB convertitur in gradus, nempe hoc loco $1. 36.$
ita

(b) Si diameter terræ media tenet 19615800. ped. Paris. seu 3923. mill. quorum singula 5000. pedes æquat, terra ad Aequatorem 85200. pedibus vel 17. ejusmodi milliariibus altior est quam a Polo uno ad alterum. Scheuchzer l. c. p. 115. Ergo per intervallum curvæ a Nebo ad Dan, intra quod vera linea horizontalis ad quinque ulnas depressa fuit, linea recta procurrat ad minimum mill. Germ. 26. in quibus methodo Scheuchzeriana tellus 1287. ped. Paris. & $\frac{39}{43}$. depressior est, quam si esset terra exacte sphaerica,

tus est. Moses ex Nebo perspiciebat omnem Gileaditidem, ad Dan usque, circa fontes Jordanis, omnem Naphthalitidem, Ephraimitida & Manassida, & omnem Judæam ad mare usque mediterraneum, australem plagam & tractum urbis vel potius vallis Hierichuntinæ, (cc) *urbem palmarum*, quæ erat *Engedi*. (dd) non vero ipsa Jericho, ut quidem falso statuitur, usque ad *Zoaram* in finibus lacus falsi australibus Deut. XXXIV. 6. Situs urbis Engedi recte in veterem locum, unde eum Relandus turbaverat, non debite capiens Josephum *Ant.* IX. 1. nec respiciens ad 2. Chron. XXI. 2. sqq., restituit Jeremias Philadelphus. (e) Christus vero vidit *πασας βασιλειας τῆς κοσμου* כל מלכות העולם *omnia regna illius orbis* i. e. Palæstinæ, videlicet regnum Philippi in Trachonitide, qui tum vivebat Luc. IV. 1. regnum Antipæ in Claff. VIII. Fasc. V. L11 Ga-

(c) Nam si ad gradum latitudinis 45. ex altera terræ superficie jam defecit illa major Aequatoris semidiameter ad $4\frac{1}{4}$. mill. quorum singula sunt 5000. pedum, quæ sub Aequatore erat $8\frac{1}{2}$. ergo intra 30. milliaria ejusmodi seu 2. gradus defecit $\frac{1}{4}$. mill. illius, hoc est, itidem in intervallo, quod montem Dan a Nebo dirimit.

(d) In *Geographia reformatâ* L. VI. c. 22. Probl. 3. p. 217. & c. 25. Prop. 2. p. 225.

(cc) *Quam Jerico & Arco* vocant Strabo L. XVI. p. 525. Plinius L. XII. c. 25. Solinus c. 38. Justinus L. XXXVI. 3. Salmastius in *Exerc. Plinianis* p. 583. Petrus della Valle l. c. p. 153.

Galilæa cis oppidum Dan, regnum Arche-
 lai per Judæam & Samariam, cui paullo
 ante præsides erant submissi in exilium mis-
 so, regnum Nabatæum, cujus regia erat
 Petra haud procul à Kades, Aretæ III. qui
 Herodem tetrarcham aliquando vicerat (f)
 & Damascum per præfectum regebat, (g)
 aliquas etiam urbes Judaicas tenens. Si quis
 per *mundum* noluerit Palæstinam intelligi,
 ei adversabuntur multa, primo *δικοιμενη* sæ-
 pius notare Palæstinam, (h) deinceps nul-
 lo in loco Sphæricam tellurem oculis simul
 usurpari posse, & in montem adscensum
 esse, ut inde oculis, non solo animo pro-
 spiceretur, quantum acies oculorum & ter-
 ræ figura ferebant. Deus vero nos deducat
 in æternam sedem promissam, quam nunc
 fide sublatis eminus prospicimus. Deus
 esto oculi nostri meta & finis, ne
 diabolo succumbamus.

VII.

- (dd) 2. Chron. XX. 2. Ez. XLVII. 19. Joseph. *Ant.* IX.
 1. Hieronymus T. IV. f. 94. D. ed. Froben.
 (e) In hac *Bibl.* Cl. VIII. Fasc. I. Art. 1. §. 17.
 (f) *Jos. Ant.* XVllil. 7.
 (g) 2. Cor. XI. 32.
 (h) Sal. Glassius in *Rhetorica sacra* *Traçt.* I. c. 16. p.
 451. seu edit. Amstelod. p. 923. conf. *Rom.* IV. 13.
 & *Targum in Num.* XXIII. 13.

Epistola

Annae Mariae SCHUR-
MANNIÆ,

ad

SAM. RACHELIUM,
Prof. Juris Kiloniensem, (a)

ἀνεκδότος.

Reverendo Viro Domino

Samueli RACHELIO,

S. P. D.

Anna Maria a SCHURMANN.

AGe, Vir Summe Reverende, ac hu-
manissime, ac si qua Dei dona & bo-
na usquam invenias, ea ipso largi-
gitore omnium ad eum so-
lum glorificandum simpliciter &
amanter intueri & deprædicare perge, siqui-
dem libenter laudat, qui amat. Quin imo

LII 2

ut

(a) *Αυτογεγεφον* hujus epistolæ etiam nunc asser-
vatur in Museo magnifici MUHLII, quem inter or-
namenta sua præcipua numerat communis urbs pa-
tria Brema.

ut & illa cœlestis veritatis lumina easque divini amoris scintillas, quas in animis nostris accendit divina benignitas, quasque dissimulare ingrati non possumus, ne negligere velis vehementer Te, si opus esset, rogarem, quo nihil ponderis ac pretii sui in spiritali nostro commercio amittant. Gaudeo quod quædam Tibi in nostris scriptis placeant, gaudeo etiam ea quæ Tibi displicuere, Te candide aperuisse, nostramque explicationem ampliorem desiderasse, cum non solum me sed & fidelissimum nostræ ecclesiæ pastorem D. Yvon ad hoc paratum invenias. Placuisse Tibi inter alia dicis ea, quæ ego de Terminis Philosophicis sub initium mei libelli differui, sed propter Philosoph. & Sophistas eos ex parte addiscendos censes. Cui sententiæ nihil opponere velim, si quis Academica exercitia hoc corruptissimo seculo fovenda evicerit. Ego vero nullum vidi hætenus, qui per disputationes non solum philosophicas sed & Theologicas vere ad Deum ejusque veritatem sit conversus. Memini istius dicti Thomæ Aquinatis: Religionem non solum fide teneri, sed & ratione defendi. At qualis illa defensio est nisi mere humana? Quando autem omnis scientia, quæ ratiocinationibus innititur, simplici que intelligentiæ justorum opponitur, tenebrosa & impura est (cum revera post hominis lapsum in humano cerebro nascatur) eoque

invalida est ad ejusdem naturæ sophismata, quæ ut hydræ capita resecta illico repullulant, prorsus opprimenda, ad nudas potius veritates Christi discipulis confugiendum existimamus, quæ in lumine Dei propositæ ac receptæ, ita ejus amatores amabili suo splendore circumfulgent, ut iis resistere nec possint nec velint. De amicis vero errorum juxta æ sophismatum credo me satis mentem meam in mea *ἐνκλησία* explicuisse. Scribis præterea Te librum Domini *Yvonis* perlegisse. Tibique probari video, quod beviter & accurate refutaverit Anthoniam, * sed non æque placide à Te recepta ea, quæ de divina prædestinatione luci exposuit, quæ Tibi *σκληροτερα* visa sunt. Quod ego minime mirata sum, cum Te contrariam sententiam quasi cum lacte matris Tuæ imbibisse animo arbitrer, eamque Te assidue, ut amabilem, in pectore Tuo fovisse, omnique ope confirmare inixum, non dubitem, quæ quantam vim habeant ad ejus opposita rejicienda in Pontificiis aliisque passim experimur. Sed ego Te per nudæ veritatis amorem, quæ suos filios ab omnibus errorum & tenebrarum vinculis etiam fortissimis liberare potest, amanter & obnixe rogo, ut hanc epistolam dilecti nostri fratris ac Pastoris Domini *Yvonis* utpote ex amore puro & ardenti zelo divinæ gloriæ summi Regis & Domini Dominorum profectam coram ipso

* *Bourignoniam*,

remoto omni præconcepto iudicio & affectu nude ac simpliciter intueri ac perpendere velis. Res enim hic agitur maximi momenti. Agitur de supremo & absoluto Dei dominio in omnes creaturas, quas ex nihilo creavit. Agitur de liberrima ac sanctissima ejus voluntate, de ejus decreto & præscientia immutabili an mutabili? De primitate Entis unice necessarii quæstio est, an independens sit; & an ab aliqua re aut causa extra se terminari debeat aut possit? An hominem propter hominem an vero propter se ipsum fecerit? De quibus & similibus Dei attributis plura in meo jam nominato libello, sed alia occasione attigi. Unum tantum hic addam de necessitate nempe abnegationis nostri ipsius & omnium creaturarum, quæ uti a Servatore mundi electi justissime ab omnibus ejus discipulis exigitur, ita hæc sola doctrinam de æterna, Dei prædestinatione creaturarum ad certum finem illis dulcem ac salutarem reddere potest. Justissime abnegationem nostri a nobis requiri dixi, quia non tantum Christus illam vult ac jubet, quod omnem injustitiæ suspicionem removet, sed & eam justissimam esse ex opposita injustitia lapsus Adami manifestum est. Omnes in primo nostro parente Dominum & Deum nostrum, ejusque absolutum in nos imperium rejecimus & abnegavimus. Nostri ipsorum, non
Dei

Dei nostri esse volumus, cum nos ipsos in Deum nostrum singuli ereximus. Antequam vero per ejus spiritum regeneramur, in eadem rebellione persistimus, amplectentes eandem infidelitatem & apostasiam. Unde justissimum esse palam est, ut per viam contrarii ad Deum nostrum revertamur, atque jugum & regnum nostræ rationis ac superbix simulque perversi nostri ipsius amoris penitus excutiamus atque abnegemus, nisi nostri ipsorum nostriq; Dii & veri Dei hostes, quales sunt omnes non vere conversi, permanere velimus, idque nobis æquum ac justum videatur. Dixeram porro abnegationem omnium creaturarum solum aptam & efficacem esse ad prædestinationis doctrinam ejusque certitudinem nobis salutarem ac amabilem efficiendam, siquidem ipsi sincere renunciemus creaturis. Nam fieri nequit, quin ii qui hoc Christi mandatum fideliter exequuntur, in ejus famulos & assecclas ab ipso recipiantur, unde eorum salutis certitudo ipsis nota & certa fit. Vult enim ille optimus & benignissimus Dominus, ut ubi ipse, ibi & sint ejus servi, utque conspiciant ejus gloriam. Et in hac vita, ubi cor aliquod ab idololatria creaturarum vacuum est, ibi Deus ipse omnificiens solium occupat & adimplet. Sin autem nostræ salutis certitudo a vertiginoso nostro cerebro aut a mutabili nostra volun-

tate penderet, actum esset non solum de nostra salute, sed & de divina præscientia atque immutabilitate voluntatis Dei, ideoque nos omnes curas nostras in Deum devolvimus, & per ejus gratiam abnegationi omnium navamus operam, quandoquidem eam Christus dux & consummator fidei ut primum in via salutis gradum tantopere commendavit. Eo certe ejus discipulis veniendum, ut Dei gloriam ejusque divinam voluntatem semper optimam omnium creaturarum felicitati anteponant, ac causam supremi Domini contra omnes ejus adversarios, imo contra se ipsos, sicubi ipsi non sunt conformes, fideliter fortiterque agant. Serviamus illi alacriter ac humiliter, & ipse erit merces nostra magna. Amamus unice & intime unicum illud summumque bonum & nobis licebit esse securis, quod sui amorem non detrudet in infernum, nec sollicitis de salute inimicorum Dei, qui cum ipsa bonitas ac justitia essentialis sit, perinde ac ipsa misericordia & clementia, nemini faciet injuriam. At objiciet forte aliquis: Annon & nobis nostræ & proximi salutis cura demandata est? Respondebo, minime ut eam curemus nostri causa, ex amore potius creaturæ quam creatoris, aut ut per nostras curas ac vires eam nobis & aliis procuremus, cum non solum ejus eventus & media pendeant a gratia Dei, quæ in omni-
bus

bus illius momentis nos prævenire debet, ut acti agamus & moti moveamur ad vel minimum bonum operandum. Deum solum esse causam primam & primum motorem, ut & causam finalem, qui omnia liberrime decernit, præscit & exequitur, olim epistola ad D. Beverovicium probare variis etiam Ethnicorum dictis conata sum, eo successu, ut vir ille doctus, qui de Termino vitæ moverat quæstionem, ac Remonstrantissimo adhærebat, se vi veritatis convictum publico responso testaretur. Sed & pro hac nostra sententia tot tantaque ex sola S. Scriptura adferre possem testimonia, ut in librum integrum excresceret hoc epistolium, si id mihi hic proposuissem. De cura salutis proximi, ut hoc addam, scimus eam non alia ratione promovendam, quam juxta cujusque vocationem ac media a Deo ordinata. Adhortemur omnes omni occasione, quam nobis offert divina providentia, ut arma injustitiæ deponant, contra suum Regem naturalem assumpta, suam culpam agnoscant, seseque justissimo ejus imperio subjiciant, ipsique conversi alios convertere studeamus, nostro in primis exemplo, juxta præceptum Domini Jesu: Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra & glorificent patrem vestrum qui est in cælis. Eventus vero omnium qui in manu Dei sunt, ipsius divino consilio & arbitrio permittamus.

Redeo ad Tuas literas, in

quibus mihi præprimis arrident, quæ impietatem Anthoniæ condemnant & benignitatem dulcissimi Salvatoris nostri ega pœnitentes peccatores extollunt. Omnes enim omnium mortalium, imo omnium angelorum linguæ non satis digne & abunde decantare possunt infinitas ejus laudes. Hoc tantum ex caritate fideli te monitum velim, ne statim pro vero pœnitente habeas unumquemque, qui doleat de aliquo peccato, si nullum vincat vel subigat. Nam vera ac viva pœnitentia est ipsa nova vita, atque a gratia Christi justificante & sanctificante provenit. Ea vero regnum peccati in nobis destruit, quamvis ejus reliquiæ in fidelibus remaneant, ad illorum humiliationem & exercitationem virtutis militaris Christianorum, quæ certe cum hoste sui Regis non colludit. Increduli omnes atque impœnitentes in primo Adamo ante ejus restitutionem per secundum Adamum a Deo spectantur, atque ejusdem culpæ rei reputantur, cum extra fidem vivam in Christum unicum mediatorem novi fœderis non detur justitia, nec salus quicquid contrarium statuatur vel Anthonia, vel perversus creaturæ rebellis amor adversus hanc sanctam atque in sacris literis revelatam veritatem. Fideles autem suam iniquitatem & Christi Salvatoris justitiam atque omnisufficientiam conspicientes sibi perditis peccatoribus

renunciant ac Jesum sese offerentem amplectuntur in suum Regem, Doctorem & sacerdotem, ipsique se animo pariter ac corpore donant, eique ut capiti suo uniuntur, unde ejus spiritu novo & renovante animantur & reguntur, Christique Dei filii imagini fiunt conformes juxta divinam prædestinationem. Rom. VIII. 29. tantum abest ut sub regno peccati maneant ac Jesum faciant ministrum peccati, suæque concupiscentiæ vel brutalis vel spiritualis. Hinc porro formas objectionem adversus mea verba: Quod salvandi ad notitiam Dei & adimpletionem ejus voluntatis perveniant, his reclamare inquit, ut videtur, dictum Apostolicum: Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides ad justitiam. Respondeo, ut in meis præcedentibus attigi, non justificari impium operantem, sed ut operetur, nimirum salutem suam, cum timore & tremore, quia Deus est qui in nobis operatur & ipsum velle & ipsum perficere, ut idem ait Apostolus. Non excludit opera a possessione vitæ æternæ consequendæ, sed a primis justificationis momenti, quæ in filio Dei per imputationem satisfactionis Christi, ejusque meriti extra hominem electum facta est, ac deinde tempore præstituto cum infusione spiritus fidei isti peccatori justificato applicatur in folio ipsius conscientiæ. Voluntatem Dei a justifica-

ficatis adimpleri dixi, nempe eam, quam in ejus verbo, in rerum eventu statuque fidelium revelat, quam illi ex animo in omnibus & ubique adamant, quæve ut ipsius Christi, eorum cibus & potus est. Omnem autem scrupulum apparentis contradictionis verborum Christi & Pauli nobis auferre poterit diversi eorum scopi consideratio. Huic enim propositum fuit explicare modum justificationis mundi electi in capite & sponsore ejus, ut liquet ex constanti hujus Apostoli doctrina, quam hic & alibi proponit, uti 2. ad Cor. cap. 5. ad Ephes. 1. 4. ubi nos electos Deoque reconciliatos in Christo per remissionem peccatorum luce clarius ostendit, eum autem in finem, ut glorificetur mera Dei gratia & mediatoris N. T. benignitas & omnimoda sufficientia ad salvandos suos foederatos. Christi autem dicta Matth. 5. & 7. eo tendunt, ut suos auditores, præsertim vero suas oves, quas illi pater cœlestis dedit, ut bono pastori ac doctori, doceat, non satis esse ad intrandum in vitam gratiæ, & gloriæ ut ejus vocem audiant, nisi illius mentem assequantur, eamque sequantur per portam & viam angustam, nimirum seipsos abnegando, crucem suam tollendo ac quotidie pœnitendo, ejusque vestigiis insistendo, eoque summus doctor characterem sive signum certum proponere voluit, unde discerni debent vani ac fatui auditores verbi
bi

bi divini a prudentibus ac salutariter audientibus. Succinctius rem dicam : Paulus quippe statum exponit justificatorum coram Deo, rationemque & modum justificationis, Christus vero indicat propria & effecta justificatorum post eorum conversionem, qui nimirum non tantum audiunt, sed & faciunt voluntatem Domini.

Adjicis deinde Christum ejusque Apostolos peccatorem vel maximum, qui scelus agnoverit & de eo doluerit serio, non sine dulcissimo solatio a se dimisisse, Deique reconciliatione tristes animos exhilarasse. Quibus ex animo assentior, si quis scilicet doluerit serio, non ut passim solent fures, ob pœnam aut sui commodi causa, sed ut conversa peccatrix Luc. 7. quæ suam pœnitentiam fuisse seriam ac veram eo probavit, quod multum dilexit ob remissionem multorum peccatorum, ut testatur ipse Salvator. Serio dolent de suis peccatis, qui sincere oderunt peccata, ideo quod sanctissimus Deus illa unice odio habet, quodve ignominia afficiant patrem cœlestem, dum illi, qui illius filios sese esse jactitant, concupiscentiam suam divino ejus amori, ejusque nominis glorificationi præferunt; qui autem vitiis suis indulgent, neque illa projuratis suis hostibus habent, imprimis postquam eorum assultibus succubere turpiter, si certe nulla consolatione tranquillari, sed po-

potius perturbari debent, quo ad odium peccati irreconciliabile incitari queant. Video Te ex caritate quadam universali omnibus tuis auditoribus adferre velle consolationem: sed nostra caritas superare non debet caritatem ac misericordiam Dei, patris omnium consolationum ac miserationum 2. Cor. 1. neque extendi eam par est usque ad hostes summi nostri Regis Jesu Christi, dum illi arma injustitiæ deponere nolunt. Imo crudelem esse dicam eam caritatem, quæ vulnere gravissimo ac sanioso nihil præter malagmata aut cutem reducentia emplastra applicat, etsi vulnerato esset gratissima. Annon tamen, inquires, solatio corroborandi infirmi, etiam si per imbecillitatem aliquoties patiantur recidivam? Concedo, sed videndum, ne quis infirmitatis nomine obvelet regnum & potentiam peccati, cum privilegium Christianorum sit, armis Dei se contra hostes, quorum maximus est quisque sibi, munire ac virtute Christi vincere mundum tam in nobis, quam extra nos. Lapsus varios sanctis etiam in hac vita posse accidere non diffitemur, eoque Anthoniæ dictis, quibus perfectionem legalem aut justitiæ Christi parem hoc est omnibus numeris & gradibus perfectam urget, minime subscribimus, sed & ejus superbiam ac vanitatem, qua se in matrem credentium (non dicam si Diis placet, hoc enim non satis pure

pure & Christiane dicerem) arroganter erigit, jure merito tecum explodimus. Quod autem & tibi in quibusdam non assentimur, æquo feres animo, uti etiam id Te facturum satis ex Tuis litteris perspectum habeo. Concludis enim præter mentem meam ex antecedentibus de lege amoris totam fere litem, qua re a consequenda salute lex tota excludetur, dirimi posse, cum ego tamen non excluderem opera & effecta divini amoris a consequenda salute, sed tantum a justificatione peccatoris in tribunali Dei. Nunquam enim justificationem cum consecutione salutis, uti nec decretum Dei cum ejus executione confundi velim. Subjicis, quod ego non pariter ac Anthonia in mores imperfectos perfectis moribus Christi, nedum tetrica legis tyrannide sæviam. Et revera in credentes peccantes cum mox peccata sua commissa agnoscant, detestentur & emendent, nullo modo sæviendum est. Verum si illi & nos in illorum peccata (ut eadem phrasi utar) sæviamus, non improbandum puto. Peccatum semper & ubique peccatum est atque infernalis serpentis semen ac progenies, adeoque animarum venenum nocentissimum, quod si naturam divinam, cujus omnes Dei filios participes factos docet S. Petrus, in nobis separaret, nos secum in infernum, unde originem duxit, infallibiliter raperet. Quid igitur in eo mali sit, si illud, ut veteris hominis opus, destruere in fidelibus an-
ni-

nitamur, novumque hominem a communi
 illo ac mortali ejus inimico liberare ac ju-
 vare contendamus. Eo certe nos ducit
 S. Scriptura, quia is fructus & effectus no-
 stræ crucifixionis factæ cum Christo Jesu,
 quod corpus peccati in nobis destruat, ne
 amplius serviamus peccato, ut hoc inpr-
 mis inter alia inculcat Apostolus Rom. 6.
 Quid autem legis postulatum vocas tetricam
 tyrannidem, silentio præterire non possum,
 cum profecto lex non tyrannica sit, sed ju-
 sta, rigida quidem ejus transgressoribus &
 hostibus, sed amica justificatis ac regenitis.
 Lex Dei vera, quæ quoad ejus essentiam in-
 timam est ipsa sanctissimi creatoris voluntas,
 jubens ut peccator sese abneget, nil præter
 Deum vel contra Deum amet, cunctaque ex
 animo integroque affectu peragat, non ex-
 cluditur, ut dictum est, a consequenda
 possessione salutis, sed ejus adimpletio, quoad
 summam rei, sive quod idem est, dilectio
 Dei sincera introitum in domum supernam
 patris cœlestis antecedit, non autem justi-
 ficationem, cujus causâ nunquam esse pot-
 est. Etsi enim aliquis semper sancte post
 suam conversionem viveret, non solum
 non esset justus propria sua justitia (cum
 Christus esset ejus sanctificatio, quandoqui-
 dem ejus spiritus per effusionem caritatis
 divinæ in corde ejus illam produceret) sed
 reus semper esset censendus ob anteceden-

- in dilectione in caritate, et in omni bono.

tia subsequenter deleri non possunt, eo quod singulis momentis, quicquid facimus, Deo omni jure debetur, tantum abest, ut justificari per nostra opera promereremur, servi inutiles, ac jus ad regnum Dei per ea proprie consequeremur. Unde palam est quod æternæ mortis rei permaneamus, si Deus pro meritis, non Christi Jesu, sed nostris nobiscum agere velit juxta fulmen legis maledicens omnibus, qui non permanent in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ista faciant. Ad tua verba, tantum abest, ut salus æterna accepta ferri possit operibus legis, ut excludi debeat omnino. Hoc iterum observo, quod salutis consecutionem & justificationem confundant, ideoque cum Paulus ab hac opera legis excludit, eum etiam eadem ab ista excludere statuunt: at si, ut æquum est, duo ista discernerentur, nulla plane esset difficultas. Opera quæ lex sub maledictionis poena præcipit, externe Judæorum carnalium more peracta non sunt causa justificationis hominis coram Deo, sed nec ea ipsa, quorum Spiritus Christi in sanctis justificatis origo ac principium est. Etenim donum fidei (quod opus Dei in nobis est, quodve nos in Deum & Christum transfert, cum nos utique vinculis ipsis extrahit) illa omnia manifeste præcedit, cumque nos totos tradit Christo, ita ut non amplius nostri sed ejus simus, omnia

nostra tum justitiam, tum sanctitatem, tum
 & salutem ab eo expectemus, virtute effi-
 cit, ut Christus etiam revera noster, no-
 straque justitia fiat. Unit enim nos illi tan-
 quam membra capiti, ac proinde quicquid
 habemus ambo, protinus commune evadit,
 nec tantum peccata nostra miseriaeque ac
 poenae, quas incurrimus, Christo imputa-
 ta & propriae fiunt, sed & corpus, anima,
 vita, tempus & aeternitas nostra ipsi per fi-
 dem consecrantur. Vicissim quaecunque
 Christus habet, per illam communionem &
 unionem, quam cum ipso habemus, per fi-
 dem nostra re ipsa redduntur, in primis ejus
 justitia, quae toti ejus corpori membrisque
 singulis, ac si ejus essent, maxime propria,
 imputantur, hincque jure per fidem justi-
 ficari dicimur & fides ipsa ad justitiam im-
 putatur, non per quandam acceptilatio-
 nem, aut in locum perfectae obedientiae sur-
 rogationem (ut putant Sociniani, & ex parte
 Remonstrantes) nec quoniam fides ipsa idem
 prorsus est quod Jesus Christus justitia no-
 stra (ut ii qui Enthusiastae audiunt passim
 statuunt, S. Paulo non obscure contradicen-
 tes, qui per fidem Christum in nobis ha-
 bitare satis distincte dicit) nec tandem quia
 fides sit propria hominis electis justitia, qua
 coram Dei judicio persistere possit impavi-
 dus. Verum ei ad justitiam imputari ideo
 dicitur, quod Deus reapse ac plane justifi-

est credentem, & quoniam fidei justificantis natura, excellentia ac vis ad justificandum consistit in illo indissolubili vinculo, quo cum Christo justitia nostra connexa est, in illa relatione quam ad ipsum constanter habet. Jesum enim non solum respicit, ad eum tendit, nosque ducit & cum illo conjungit, sed & ipsum amplectitur, in corda adducit ac introducit, utique eum habitare facit, ita ut nobis loco omnis justitiæ propriæ abunde sufficiat, cum Christum ipsum nobis præbeat, nec præter eam pater etiam quicquam ad nos injustos absolvendos, justosq; actu & in solio conscientiæ declarandos exigat vel expectet. Unde palam fit quam pure justificatio nostra a mera Dei misericordia & a Christo Jesu Sponsore nostro in universum pendeat. Præterea inde liquet, quomodo fidem justificationemq; sequantur opera, etsi revera præcedant actualem salutis nostræ consecutionem. Ea enim, ut testatur Apostolus, præparavit Deus, ut iis incederemus. Addam insuper ad plenam Paulinæ & nostræ sententiæ expositionem, quod cum S. Paulus opera, quæ lex imperat in totum eliminare videtur, duo tantum clare intendat. Primo opera omnia, quæ Judæus, qua Judæus, per cognitionem legis edere potest, esse ad justificationem, imo sanctificationem & salutem prorsus inutilia & noxia, cum ipsa sint peccata non ex fide, sed ex ignorantia sui & superbia propriarum virium, præ-

sumptione cujusdam meriti iisdem affixi, per-
 versa existimatione & justificationis coram
 Deo propter ipsa expectatione tumida pro-
 fluentia. Impure itaque fiebant, cum ex
 fide & Christi spiritu convertente ac rege-
 nerante non procederent, & iis non plena
 erant, nec perfectam legi præstabant obe-
 dientiam, unde maledictionem, quam ipsa
 minatur iis, qui illam perfecte non servant,
 istos Judæos cum omnibus irrogenitis reve-
 ra incurrisse B. Paulo & Christianis palam
 est, eaque ratione Apostolus opera Judai-
 ca, quæ lex tum moralis tum ceremonia-
 lis jussit, utique contemnit & non solum
 a justificatione, sed & a toto salutis negotio
 rejicit. Secundum, quod vult probare ac de-
 monstrare Apostolus, est ipsa opera san-
 ctorum per Spiritum S. peracta & legi di-
 vine tam morali quam ceremoniali confor-
 mia, non esse causam eorum justificationis,
 sed ejus potius effectum. Idque ex Abra-
 hamo confirmat, exemplum ex circumcisio-
 ne & illustriore ejus opere, puta Isaaci sa-
 crificio ducens. Istud enim & illa fidei lau-
 dationem (quam cum justificatione conjun-
 ctam esse evincit) non præcesserunt, sed
 manifeste subsequuta sunt. Hisce ergo Ju-
 dæos de Abrahamo per opera sua vel per
 externum legis sigillum, ut falso prætende-
 bant, justificato gloriantes, potenter con-
 vincit, prosternit, de iisque in glo-
 riam

riam gratiæ DEI CHRISTI per fidem
 acquisiti ac possessi triumphat. Quod au-
 tem ex mente Apostoli colligi posse
 autumas hanc conclusionem, quod hisce
 verbis exprimis: Plane ut velit docere, si
 quid angat nos, quod secundum tempera-
 mentorum, quae exferunt se in nobis, diver-
 sitatem minus quam alii servire valeamus,
 adeo ut in vitiis aliis nos, in aliis alii repe-
 riantur infirmiores, de eo non debere esse
 usque adeo sollicitos, ut in desperationis
 casses delabi ideo velimus, &c. non possum
 tibi suffragari. Qua ratione enim, Vir Re-
 verende, temperamentorum diversitatem ad
 imminuenda peccata vel operum non ne-
 cessitatem ad justificationem statuendam af-
 feras, non satis assequi valeo. De iis nihil
 utique dicit Apostolus, nec sanctificationis
 curam sanctamque sollicitudinem eorum
 obtento praetextu abjicere Christianos ulla
 ratione docet, sed e contrario salutem ipsis
 operandam cum timore ac tremore, quod-
 que sine sanctitate nemo videbit Deum, ali-
 bi fortiter affirmat. Subnectis, qui enim
 non operetur, hoc est, non ita perfecte
 operatur, uti condeceat ei, si credat in eum,
 qui justificat impium, imputari peregrinam
 illam justitiam. Non operari simpliciter
 sumitur apud Apostolum, nec ulla ratione
 significat ei perfecte operari. Et quamvis
 verum sit, perfectam obedientiam non re-

quiri ad justificationem, imo nec ad sanctificationem & possessionem salutis consequendam, unde ad desperationem non redigimus eos, qui perfecte non operantur, tamen omnes justificados sancte incedere ac DEO digne vivere oportere, jure & merito cum Christo ejusque Apostolo pronunciamus. Iftam Apostoli doctrinam plenam esse dicis solatii, verum addis, Salvator alioqui vere consolator, istic (nempe Matth. 5. & 7.) quidem solari non videtur. Mihi autem valde mirum est, quod solatium ex Apostoli dogmate de justificatione perceperis, nullum vero ex doctrina Salvatoris de sanctificationis necessitate, cum nihil mihi videatur amabilius quam per inviolabilia summi doctoris documenta discere, omnes ejus sinceros discipulos puros esse corde, eosque sequentes optimum ducem JESUM illustres sanctitatis semitas ingredi ac premere constanter. At rationes affers, cur minus solatii invenias in verbis Christi Matth. 5. quod scilicet nullam de imputanda justitia sua faciat mentionem. Concedo Christum non loqui de sua imputata justitia iisdem verbis, quibus utitur Apostolus, dicam tamen primo cum v. 17. asserit, se venisse, ut legem adimpleret perfecte, ejusque præceptis, mandatis, ceremoniis, imo maledictioni se subjiceret, perspicuum esse, cum re ipsa docuisse, se præcipue in primum

venisse ad nostras prævaricationes obedientia contraria obliterandas. Secundo addam, etsi JESUS hic loci de justitia sua suis imputanda nihil omnino diceret, hoc tamen Apostoli verbis non adversari posse, nec imminuere eam consolationem, quam ex singulis Christi verbis percipiunt veri fideles. Dogma enim sanctificationis saluberrimum illud justificationis neutiquam invertit & infirmat. Pergis, inquires, Christus observationi legis suæ tanquam petra Christianismum superstruit & omnia operibus videtur tribuere. Primum certissimum est. Non enim qui audit, sed qui facit voluntatem ejus salvus erit & justificatum se esse clare demonstrat ac probat. Alterum nequaquam sequitur. Tantum opera sancta & a spiritu atque amore divino proficiscentia tanquam Christianis omnino necessaria inculcat Servator, eaque pro illorum notis certissimis habenda statuit. Ut enim absque sanctitate nulla est salus, ita absque operibus bonis nullus est ex mente Christi patens & explicatus Christianismus, nec etiam ex mente Pauli, qui sanctificationis necessitatem fortiter confirmat epistola ad Romanos, præsertim altera ejus parte. Clarum itaque esse puto, quomodo ex apparenti illorum contradictione nos extricare valeamus. Affers deinde occasione fidei efficacis Abrahami quæstiunculam: an si quis Christianus

militans tanta fide non polleat, totam ætatem ideo cogitare debeat, se non esse electum, idque annon prædestinationis signum sit? Respondeo primo non agi in quæstione de veritate fidei, de ejus gradu, sed essentia, propriis & fructibus vivis ac sinceris. Deinde neminem, nisi forte se reum sciret blasphemix in Spiritum S. se non electum esse pro certo statuere posse aut debere palam est, sed nec quenquam certum esse de sua prædestinatione ad salutem absque sanctitate vitæ non fucata extra controversiam ponimus. Proponis præterea dicta Apostolica, tum B. Pauli, cum B. Joannis, quibus dogma de prædestinatione particulari singulorum hominum enervare conaris, sed illa carissimo nostro Pastori Domino Yvoni explicanda relinquo. Duo tantum notissima personalis prædestinationis exempla Esavi scilicet & Jacobi, nec non Pauli & Judæ Ischariot, utriusque status, menti Tuæ subjiciam, quæ revera omne contradicendi desiderium ab animo humili ac docili ad audiendam mentem & efficacem veritatem S. Scripturæ protinus tollendum abunde sufficere putem. Sed hoc in transitu dictum sit. Afferis porro juxta sententiam S. Pauli Eph. 1. DEUM nos elegisse, nempe ante jacta mundi fundamenta, ut ibidem ipse addit, nimirum in Christo. Unde concludis: **Quicumque igitur in Christum credit, electum**

etum se esse sciat. Omnino tibi assentior. Verum pergis. Si qui igitur ex Christianis (professione scilicet) ad infernum abeant, te non credere, eos ad id esse destinatos, sed quia in Christum non crediderunt. Fateor hanc eorum incredulitatem causam esse eorum damnationis, sed eorum incredulitatem causam esse præscientiæ ac voluntatis DEI fortiter negamus, cum voluntas DEI, quæ idem est quod DEUS volens, sit causa absolute prima, quæ nunquam aut nusquam fieri potest causa secunda, aut a creatura ut ab objecto extra Deum terminari, sed sic iterum confunditur decretum DEI cum ejus executione. Objicis denique, si tu ita conconditionarere, ut D. Yvon in suo libello, auditores tuos se in quævis peccata præcipituros, prætexentes DEUM ita voluisse: ad quæ ipsum DEI servum solide responsurum arbitror; hoc tantum addam, contrariam esse praxin nostræ ecclesiæ, quæ primo doctrinam Christi de abnegatione sui & omnium creaturarum, quas comparate ad Deum pro nihilo habet, amanter ac humiliter imbibit ac per gratiam Spiritus Christi ad vivam praxin applicuit. Et postquam Deum esse Ens summum, unice necessarium, essentialiter bonum, sanctum, justum, liberrimum, sibi que omnisufficiens juxta ac sapientissimum & potentissimum cognoverunt singuli, se parvi facere atque omnis gratiæ indi-


gnos propter primi parentis & propriam suam in tantum & ejusmodi Deum rebellionem condemnare didicerunt. Unde sponte fuit, quod DEI voluntatem omnis justitiæ normam ac causam esse credant, eamque non cadere sub eorum examen aut tribunal submisit & sincere agnoscant, omniaque sua bona quæ reipsa DEI sunt, tum temporalia, tum æterna, non minus quam se ipsos totos DEO suo consecrent dedicentque ejusque manibus optimis fidant ac secure remittant, ipsi vero hoc unum agentes, ut cum omni fidelitate ac humilitate voluntatem Domini sui exequantur ejusque consilio inserviant. Imo omnem suam gloriam omneque suum gaudium in eo constituunt, ut fideles servi Christi ejusque gloriæ amatores ac ministri inveniri queant, cum non dubitent, quia Deus, ut antea dixi, nonnisi optima velle potest nonnisi optima esse omnia, quæ ab æterno de se aliisque decrevit. Quin & voluntatem DEI sanctissimam ac liberrimam a voluntate creaturæ mobili ac perversa pendere ac determinari divina ejus majestate indignissimum esse plene ac firmiter persuasi sunt, juxta Scripturæ effata, quæ DEI consilium stare afferunt, & nominatim illud Apostoli: Solidum fundamentum DEI stat &c. abscedat qui profitetur nomen Christi. Sic nostrates volentes quod Deus vult & ipsi semper optima volunt, & quia glo-

gloriam DEI supra omnia volunt, optimum omnium finem, quem DEUS ipse sibi unice proponit & assequitur, & ipsi certissime consequuntur. Hic vero status exoptatissimus nemini mortalium nisi per gratiam & operationem singularissimam Spiritus Christi procuratur, ideoque per eandem Te rogo, Vir Summe Reverende, ut ejus veritati ne resistas, neque ad exceptiones & ratiunculas humanas ac vanas te convertas, sed si ejus clementia Tibi cor aperit, ut adendas ad ejus dictamina intus & Scripturam S. foris, DEO nostro des gloriam, quod te totum vicerit sibi que plane subjecerit. Et tum de tua salute te certum esse jubebo, postquam scilicet eam & tua omnia DEO consecraveris ejusque voluntatem amaveris unice ac sincere in omnibus, quæ Tibi tum per verbum ac spiritum ejus, tum per ejus providentiam ac gubernationem rerum sanctissimam revelabit. Mitto tibi hosce versiculos, qui in quodam doctrinæ Augustini compendio inveniuntur, mihi que semper sancti & amabiles visi sunt, ut in primis juvenis dicta juveni Nicolao Nicolai, omnibusque Tuis, si Tibi placeat, impertias, quo Deum suum supra propriam suam salutem vel a prima juvenia amare discant, ejusque divina consilia reverenter habeant, & humili corde adorent ac glorificent. Quod si Tibi grata est, ut scribis, nostra munificentia, tibi que grati
&

& fructuosi sint libri, quos tibi dono misimus, tu alteram liberalitatis partem, quæ in accipiendo consistit, adimpleas, pluresque a nobis recipias, si eos quos elegeris Tibi legendos nobis verbulo significare non dedigneris. Miror eo prolixitatis excrevisse meam epistolam, sed hoc inde factum, quod mihi plane persuasum habui, Te tuam, ex sincero veri bonique amore concepisse atque exaravisse, cui nostra non minus candide & libere respondet. Vale in Domino, Vir Reverende & Amice cum Tuis omnibus.

Altonæ XVIII. Kal. Jun.

1675.



X.

Elogium

Philippi OUZEELII (a)

Theologi Francofurtani
propter Oderam.

Nomen OUSEELIANVM ab Anno aerae Christianae 1067. quo Guilielmus Conquæstor cum manu nobilium, quorum Catalogum Andreas du Chesne ad calcem Scriptorum Histo-

(a) Conscriptum hoc est a Viro Cl. Nicolao WESTER-

Historiæ Normannorum antiquorum exhibit, in Angliam trajecit, in plerisque Annalibus, ut ex Thuano, Mezerayo, Camdeno aliisque patet, maximorum Principum gestis inseritur, extant etiam vitæ Antonii & Vidi Loifellorum Parisiis 1643. Latine, & Antonii Gallice etiam in limine opusculorum ibidem 1653. ab ejus ex filia nepote separatim edita, prætereaque Jac. Oisellii (b) JC.

STERMANNO, cive meo, & a primis prætextæ annis commilitone, qui nunc in Academia Marchica literas elegantiores magna nominis sui cum laude docet. Invitati eo fuere Proceres civesque Universitatis ad comitandum defuncti Viri funus, Typis quoque exscriptus exitat sermo funebris, quem Ouzelii collega, celeberrimus Vir Didericus Sigfridus *Claesenius* in memoriam defuncti d. 30. Apr. a. 1724. habuit. T. d. H.

(b) Jacobus OIZELIUS, in lucem editus est Gedani d. 4. Maji a. 1631. A Patre commerciis tractandis destinatus missus est in Belgicam, ut iis artibus se daret, quibus ad exercendam mercaturam olim redderetur instructior. Ea fini annos aliquot Harlemi, Lugduni Batavorum, Amstaelodami transegit. At, cum erectior ejus indoles ad literarum studia persequenda eum incitaret, quantum reliqua negotia permittebant, recitationibus Professorum G. J. VOSSII, Arn. SENGUERDII, Jani KLENCKII interfuit sedulo, donec a Patre suo veniam impetraret, ut rediret ad Musas sibi suavissimas. Et sic a. 1650. Leidam abiit, quae tum Cl. SALMASIUM Dan. HEINSIUM, Hadr. HEEREBORDIUM, Joh. RAJUM, M. Zuerium Boxhornium, A. THYSLUM,

JC. & Polyhistoris eximii, ab ejusdem per
 annos sexdecim Collega, Cl. Joh. Mensinga,
 Eloq.

UIM, Lambertum BARLAEUM; Jac. GOLIUM;
 immortalis famae Viros fovebat. Heic anno C. 1652.
 aetatis 21. edidit Minutium Felicem, CHRISTINAE
 Augustae inscriptum cum suis & aliorum animadver-
 sionibus. Postquam deinde juri discendo operam de-
 didisset in Academiis Ultrajectina, ac Lugdunensi, at-
 que in hac Laurea Doctorali ornatus esset, trajecit
 A. 1655. in Angliam, & inde in Gallias. Italiam
 deinde adire constituerat, sed cum pestilenti sidere
 illa tum adflata esset, substitit Genevae, & hinc altero
 per Gallias & Angliam suscepto itinere rediit ad Ba-
 tavos A. 1657. & inter illos Leidae, Hagae Comitum,
 Ultrajecti tempus suum partitus est ad An. 1567.
 quo se a proceribus Academiae Groninganae ad
 suscipiendam professionem Juris publici ac gentium
 promoveri passus est. Uxorem nunquam duxit.
 Exstinctus est hydrope die XX. Junii A. 1686. aet.
 55. Parentavit illi publice elegantissima oratione
 Joh. MENSINGA, Collega ejus, ex qua haec ex-
 cerpere placuit, impressa Groningae 1686. in ma-
 jori forma. Cujus Viri cum memini, non possum
 non mirari, neminem esse, qui ejus carminibus spar-
 sim editis uno collectis fasce literarium orbem do-
 net. Ejus enim illa sunt elegantiae, ejus leporis,
 ut id sane, si quae alia, commereantur. Ut ex un-
 gue leonem, addam epitaphium, quod manibus Ou-
 zelianis sacravit Mensinga.

*Quem gremio excepit Gedanum de matre cadentem,
 Vistula, qua lato spumeus ore vuit,
 Occidit hic cunis longe divisus & urna
 Fivela qua Grunios permeat annis agros.
 Clarus avis, & mansuris in saecula chartis,
 OISELIVS patriae laus cathedraeque decus.
 Quid mirum est, procul à cunis si clauditur urna?
 Respondet famae nobilis umbra suae. T. d. H.*

Eloq. Professore in Groningensi Academia,
 erudito Panegyrico d. XX. Aug. 1686. con-
 celebrata: nunc postquam extremus fulgor
 clarissimi nominis Maxime Reverendus at-
 que Excellentissimus Vir PHILIPPVS
 OUSEEL Med. & Theol. Doctor hujus-
 que Facultatis Professor Pub. Ordinarius
 Celeberrimus, itemque Ecclesiae Reform.
 Pastor ordinarius & Scholae Regiae Frideri-
 cianae Curator, proxime d. XII. Jul. vitae
 hujus scenam liquit, triste documentum dif-
 fluentis in vanum mortalium spei, etiam
 longo spatio tot saeculorum assertae, denuo
 hic casus praebuit. Nam ne quem turbet
 Gallicae vocis *P Oysel*, quae aviculam deno-
 tat, varia in Latinum sonum flexio, quam vel
 unus Cujacius Loiselum, Loiselium, Loifel-
 lum, Oiselum, alii Ofellium vel Oisellum, uti
 Briffonius & Arnold. Pontaeus, Lipsius Oi-
 selum, Lud. Carrio Oiselium, ipse Antonius
 Loisel modo Oiselum, modo Oisellum se
 vocat, quod ipsum etiam Jacobo Polyhisto-
 ri, nostro autem Ouseel placebat, omnia
 haec nomina vel unum potius in Latino ser-
 mone tot formas passum, ad istam Gallicae
 stirpis gentem refertur, & cum nostro nunc
 velut avicula e memoriis litterarum avolat:
 quod enim Dantisci superest nominis, mer-
 cimonio & quaestum sequitur. In hoc ipso
 autem Prussiae emporio percelebri & opu-
 lento editus fuit in auras luminis etiam bea-
 tus

tus Collega noster, in qua urbe præterea lucem conspexisse novimus Cluverios, Hevelios, Keckermannos, aliosque magno numero viros insignes meritis & eruditione: quod constat ex Andrea Charitii de eruditis Gedanensibus commentatione A. 1715. edita, in qua tamen OUSEELIANVM nomen non apparet, quum tamen & JACOBVS in campo Honoris veteranus esset, & PHILIPPVS noster jam A. 1709. erudita dissertat. de Lepra cutis Hebræorum lauream in Medicina consecutus sit, & A. 1714. Accentuationem Hebræorum metricam, Lugduni in Batavis in luce Musarum publicatam, cum eruditis jam communicasset. Annus erat a partu B. Virginis 1671. d. VII. Octob. quo effusus est in lucem Patre Michaële Ouseel, Matre Esthëra van Huysteen, fortunis & honestate ornatissimis parentibus, qui exemplo majorum, ex quo Gallia excedere ob persecutionem coacti sunt Ouseelii, commercia magnaria sectati sunt. Avus fuit Philippus Ouseel, primus sessor Dantiscanus, cujus nomen gesit noster, qui cum Lugduni in Batavis natus esset, adulta ætate ad peregrinandum animum adjecerat, in primis Galliam invisens, illustrium Ouseeliorum solum natale, inde Germaniam permensus Dantisco non modo vinculo mercium, sed etiam amorum adhæsit, quos conjunxit cum Maria le Noir, elegantissima virgine, Johannis Negotiatoris magnarii

gnarii florentis & copiosi ibidem, ex Flandria tumultuosis temporibus Dantiscum compulsi filia, cum qua per blando matrimonio innoxus multos annos vixit, & in quinque filiis duabusque filiabus, Jacobum (c) Professore Groninganum, & Michaëlem nostri Professoris Patrem procreavit, qui soli duo Professorii nominis, ex gente olim quidem ingenio foeta & legationibus Principum splendenti,
 Class. VIII. Fasc. V. Nnn sed

(c) Hujus JACOBI scripta, quae ad notitiam meam pervenerunt haec sunt, MINUTII FELICIS *Octavius* cum integris omnium notis ac commentariis novaque recensione Jacobi OUZELII, cujus & accedunt animadversiones, Lugd. Bat. 1652. 4. & iterum 1672. 8.

Disputatio inauguralis de *Obligatione*, Lugd. Batav. 1654. 4.

Caji (antiquissimi Jcti) institutionum fragmenta cum notis perpetuis, accedit insuper *Aniani* epitome, Lugd. B. 1658. 8.

A. *Gellii* noctes Atticae cum Antonii Thyssii, Oizelii & variorum commentariis, cui subjunctus est index scriptorum a Gellio allegatorum, Lugd. B. 1666. 8.

Tbesaurus selectorum Numismatum antiquorum cum singulorum succincta descriptione & accurata enarratione. Amst. 1677. 4. Est commentarius in illos nummos, quos in libro *Potentia Romana* (Roomsche Mogentheid) dicto caelari curaverat Joachimus *Oudaan*. Judicium de hoc libro vide in Anselmi *Banduri* Bibliotheca Nummaria ed. Fabricianae p. 82. Ubi tamen corrige, cum a. 1687. mortuus, ejusque Bibliotheca a. 1688. distracta dicitur. Illud enim a. 1686. hoc 1687. factum est. Neque inter Belgas pag. 229. adeo commode recensetur. Sed haec leviuscula sunt. T. de H.

sed deinde ob pacem conscientiae impeditam
 extorri & ad mercaturam delata, ingenii
 copiis quaestum posthabuerunt. Proavus
 Jacobus Oisel uxorem habuit Gelynam van
 Peene, ex Flandria ortam, Abavus Andreas
 Oisel Margaretae la Motthe notissimae gentis
 Gallicae matrimonio illigatus, primus in Flan-
 driam migravit, quicquid vasorum & abun-
 dantis patrimonii sui secum auferre potuit,
 colligans & in mercimonio locans. In pa-
 ri vitae genere versati sunt materni majores,
 Arnoldus van Huysteen, qui ex Anna Bailly,
 nostri Matrem profeminaverat, & Proavus
 Collega nostri Sibrandus van Huysteen,
 cujus mater familias dicta fuit Elisabetha
 Willems. Postquam igitur in tenera aeta-
 te matrem dulcissimam amiserat, incidit ta-
 men in curas alterius matris potius, quam
 novercae Mariae Turkeniae, honestissimae or-
 natissimaeque feminae, quam pater ipsius ad
 tutelam familiae felici voto tori sociam sibi
 iterum adsciverat. Sexennis admodum erat
 noster eo tempore, deditus etiam ultra mo-
 rem huic novellae matri, quae exemplo eum
 erudiebat pietatis & virtutis, hauriebatque
 avide praecipua morum & doctrinae, ut fra-
 tribus suis, qui unius anni aetatibus inter se
 distincti erant, primus natu praelucere posset.
 Michaël pater autem eum ob acre ingenium,
 cujus rudimenta apparebant, & quod caput
 novae stirpis esset, exemplo Jacobi primo-
 geniti

geniti fratris Musis destinaverat, sed destinatum urgere non poterat fatis impeditus. Quippe A. 1684. dum integro sanoque corpore d. XIX. Decemb. mane domo exit, circa meridiem redux, in publico gravi apoplexia correptus concidit: unde confestim sensu omni exutus, & loquela privatus, paucis horis post diem suum obiit. Inde securis quasi inflicta studiis ipsius, in bonum tamen vergere videbatur, quod spes unica Jacobus patruus, coelibem vitam agens, in animo habebat, eum aliquando ad se vocare, cui etiam copiosissimam bibliothecam suam destinarat, imo unicum heredem suum testamento scribere, eumque quasi pro filio adoptare: quod cum omnibus votis peteret patruus, irritæ tamen fuere preces, postquam & hic biennio post d. XX. Jun. quintum & quinquagesimum annum agens, rebus mortalium excessit, & voto immaturo spem nostri destituit. Hinc volutatus per varias manus a semel instituta studiorum via tamen non recessit, genio suo obsecutus, aerumnosam tamen institutionem expertus, cujus tædium posito sibi ob oculos patris fulgore & studiorum præmio dispunxit. In patria mox depositis tirocinii rudimentis Bremam convolavit, Alerisii in primis opera in Hebræis litteris usus, Schwelingii in Philosophicis, (quo præside etiam publice disputavit.) Hasæi in Theologicis. Inde anhelans

majora A. 1691. Groningam, hinc Fran-
 ckeram, Leidam properavit, magnosque ibi
 & celebres viros sectatus est, diligenterque
 audivit, eorum famam cum ingenio contulit,
 quidque vulgo eximeret viros claros, asse-
 cutus est. Theologicam doctrinam ut uni-
 ce habebat cordi, ita ad alia quoque diverte-
 bat, radicibus inniti studiorum florem debe-
 re ratus, unde præter elegantes artes, qua-
 rum studium haud perfunctorie contriverat,
 linguis in primis eruditis operam dedit, qua
 deinceps in Orientalibus acquievit. Fran-
 ckeræ Rhenferdio præside de Redemptione
 Marcossiorum & Heracleonitarum disputa-
 vit, cui doctissimo viro eruditus comes a la-
 tere erat, Braunio etiam Groningæ adsueve-
 rat, & ex familiaritatibus doctorum, quibus
 Belgium abundat, thesaurum sibi scientiarum
 congesserat, sparsum genus doctrinæ & hiul-
 cum odio habens, & fundamento semel acto
 ordinem sequens, cui per omnia sic deditus
 erat, ut aliquibus nimium videretur. Ipsum
 tamen instituti sui nunquam pœnituit, sed
 tantas opes celeriter in litteris sibi acquisi-
 verat, ut de Britannia secessu cogitaret, ec-
 quid ibi supplementorum copiis suis adjice-
 re posset. Itaque A. 1697. mare transiit, sa-
 lutavitque ingenia Britannicæ nationis, quo-
 rum acumen miratus & linguæ facultatem
 consecutus est, quo ex usu & consuetudine
 eorum majorem fructum caperet : abdidit

se in bibliothecas, eruditos congressus celebravit, persuasumque habuit, non alium opportuniorum locum gravioribus Musis ingenio confingi posse, quam istam ipsam oram maris, in qua æmula Naturæ Musa peculium sibi constituisset. Hinc saturatus mellis Anili liquore, vel potius fontibus illis, qui poti inspirationem faciunt litterariam, ut eleganter loquitur Solinus, A. 1698. domum reversus est, & homiliis pro concione recitandis operam dedit, in quibus cum aliquamdiu vehementissime se exercuisset, & tamen sedes quietas fata nondum, interponente se ambitu, aperirent, A. 1706. denuo Belgium petivit, & Lugd. in Bat. oculo Theol. & Philolog. sacram avidæ talium juventuti tradidit, privatoque studio lucem quibusdam obscuris intulit, Musarumque filiis nobilitatis in litteris appetendæ salivam movit, mechanicas naturas averfatus, & qui in aliorum tantum ingenio habitarent. Ipse tamen & Medicinæ studium libans, ita ejus amore correptus fuit, ut se immitteret penitus, & post diurnam nocturnamque aliquot annorum operam strenua diligentia eo pervasit, ut summos in ea honores non tam expectare, quam admittere vellet. Unde A. 1709. d. XII. Jul. in Franeckerana Academia de lepra cutis Hebræorum erudite disputavit, pro morboque gravissimo, minime autem letali, nec ullo modo contagioso, incurabili

tamen, habuit, ac licet Tacitus cum scabie
 fuilla contulisset hunc morbum, quæ etiam
 caussa sit quamobrem eo animali abstineant
 Judæi, sicut etiam Medici quidam recentio-
 res carnem fuillam favere lepræ infirmis val-
 de rationibus contendunt, quod tamen He-
 bræis hæc ratio ignota esset, eam præterve-
 ctus ex sanguine corrupto & stagnante po-
 tius præter caussam moralem fontem mali
 derivavit. Ex hoc Viri ingenium æstimet
 lector, quod rapax fuit & ardenti impetu,
 ut simplici facultate unius studii non acqui-
 esceret, sed grassari mallet etiam in aliena la-
 tifundia, si tamen aliena dicenda sunt, quæ
 ipse sanctissimus Servator & Apostoli viri-
 que Apostolici optimo publico, initiis Eccle-
 siæ N. T. exercuerunt: qui quidem licet mi-
 raculis claruerint, quis tamen viro talium
 exemplorum memori dicam scribat, si quod
 in ultimum tempus rejectis nunc non
 licet, ut corpora simul & animas curent,
 istius rei subsidium ab arte petere voluerit.
 Hæsit tamen & in reliquis accurata indu-
 stria, in primis postquam A. 1711. Germa-
 norum ecclesiæ Leidensi pastor præfectus
 est, ubi pertinaci opera erudita quædam me-
 letemata procudit, quibus famam sibi apud
 eruditissimos homines circumposuit. Nem-
 pe uti Hebrææ linguæ mirabili flagrabat
 amore, omniaque conquirebat, quæ ejus
 sensus explanarent, curam ipsius adverte-
 rant

rant notulæ distinctionum, quarum vim si penitus perspectam haberet, id sibi usu venturum putabat, quod ei qui in vulgaribus linguis recte interpungeret, ex quo sæpe sensum impeditis & obscuris locis oriri meminerat. Itaque ut tanto magis studiosos ad hujus rei indagacionem concitaret, suam facere visus est controversiam inter maximos in Orientali Philologia viros agitam, de origine horum apicum, quam uterque Buxtorfius cum Rabbinis divinam agnoscunt, Capellus autem & Morinus & Waltonus cum uno Elia Levita, recentiore & XVI. sæculi Judæo novitatis postulant. Noster ergo in ancipiti bivio constitutus maluit Buxtorfianas partes cum nonnullis Germanis sequi, quia videbatur ipsi illa opinio tutior & religiosior, altera autem contentioni ingenii tametsi eruditæ magis favere: quis autem revera hunc nodum solvet? quis etiam utra opinio salubrior sit humanæ genti, in isto sæpe studio præfervidi ingenii modestia prostrata, & ex altera parte in torpore humano, ubi nihil studio niti licet, explicabit? Quare cum primitiæ Leidenses, Introductio in accentuationem Hebræorum metricam A. 1714. in vulgus prolata esset, eruditissimi Theologi illius Academiæ laudarunt Ousepii nostri eruditionem atque industriam, diligentiam indefessam atque enixum de re litteraria bene merendi studium,

um, a controversia ipsa tamen temperarunt, in rebus hujusmodi ad Philologiam spectantibus suo quemque sensu abundare passi: quid sententiæ autem de ista operatulerint ceteri in Belgio clarissimi in hac facultate viri. Fr. Burmannus Amstelodami, Had. Relandus Trajecti Batavorum & C. Vitringa Franeckeræ, malumus ipsorum verbis dici, quorum integras epistolas calci annectemus. Pari modestia versati sunt Leidenses sequenti Anno in censendo altero Tractatu de Accentuatione Hebræorum prosaica, quando gratulantur eruditissimo amicissimoque Auctori novum hoc eximiæ eruditionis suæ & in litteris Hebraicis peritiæ singularis, ac simul stupendæ diligentia publicum specimen, de ingenti tamen accentuum horum apparatus, eorundemque ratione vera ac omni, in præsentia non ferunt iudicium, persuasum nihilominus habentes, doctrinæ de iis accuratissime ab auctore descriptæ prudentem usum, multum facere posse ad pleniorē facilioremque divini Codicis Hebraici intelligentiam adsequendam. Hæc vel ideo subjicere visum fuit, ne juvenus nostra putet, contentionem artis, etiam in rebus non omnium puncta ferentibus, improbabilem esse, si ingenio ad eam rapiare. Semper enim industria ignaviam infamat, si intellectui perficiendo incumbat,

&

& ad errorem tollendum finem institutionis sequatur : quæ si etiam verbum Dei & antiquitatis scrinia illustret , tum vero pecudis est , non hominis litterarum cupidi , actum potius agere , quam nobilitate ingenii niti , ut ex actis agenda eruas. Itaque sic postquam suffragia tulerat eruditionis & industriæ omnium , qui de ingeniis judicare poterant , tetigit iis animum memoria hujus Viri , qui in aula valebant aliquid , Regique nostro Potentissimo ejus doctrinam post Holtzfussii obitum commendarunt , fuitque adeo A. 1717. Regiis litteris ad nos huc loci evocatus ad capeffendam Professoris Theol. & Pastoris Reformati provinciam. Quorum utramque rite suscepit , gravi etiam oratione ad Academicos habita de verbo Dei , ornavitque non tantum ingenio , sed etiam honestate & fide. Modico illo tempore , quod apud nos egit , disputavit aliquoties , in primis de Decalogo , de cujus divisione & aliis huc spectantibus reconditas hypotheses sibi formaverat , aliaque haud vulgaria parturiebat , quorum etiam lineamenta ducta videmus , sed spes hæ omnes nunc , postquam eruditum os conticuit , conciderunt. (d) Matrimonium inivit A. 1719. cum

Nnn 5 No-

(d) Opuscula ab eo edita sunt sequentia ; *De lepra cutis Ebræorum* ; *Diss. inauguralis Franequeræ* 1709.

Nobilissima Ornatissimaque Virgine Anna Christiana Ringia, quæ dulci & jucunda copula animum ejus tenuit, multaque quæ in Leidenſi mora præ Viadrinis noſtris ipſum deliniverant, abunde ſuffecit: ſed nunc animi anxia jacet, enecta propemodum vigiliis & curis exemplum iſtud conjugalis fidei, exiguaque in ſpe trahit animam, quam

bo-

De Accentuatione Hebraeorum metrica tractatus
Lugd. B. 1714.

De Accentuatione Hebraeorum proſaica; Lugd. B. 1715. 4.

De Auctore Decalogi diſſ. duæ: Francof. ad V. 1717. & 1718. 4.

De Decalogo ſoli Iſraeli dato diſſ. tres Francof. 1719.

De natura decalogi; diſſert. duæ; H. lb. 1723. 4.

De nominibus Decalogi. Francof. 1717. 4.

De Denario regni cælorum ſ. Parabola Matth. XX: 1-16. diſſ. duæ; Ib. 1720. & 1723.

Sed plura longe affecta habuit. Audiamus Cl. Claſſenium in Orat. funebri. *Major pars commentationis decalogicæ, quæ in ſeriniis ejus literariis latitat, debinc edenda eſt, digna tota quæ edatur de quo labore τὸ Μακροῦς poſtumo multum ſibi gratulabitur reſpublica literaria. Vivit etiam deſunctus noſter in illis ſcriptis, quæ jam parata ſunt, ut preſentem ſubire poſſint, quæque tanto ſunt numero, ut aliquot majoris formæ volumina, & quædam omnigenæ eruditionis pandectas conſicere poſſint. Utinam M. R. Claſſenius exorari ſe patiatur, ut editiones eorum in ſe ſuſcipiat. Sane non minus de Manibus Viri eximii, quam de omnibus Philologiam ſacram curantibus egregie eſſet meritorus.*

T. d. H.

bonitati divinæ etiam atq; etiam commenda-
 mus. Improle tamen fuit hoc fœdus, & tantum
 animi bonis fœcundum, dum conjux con-
 jugem ita devinxerat, ut semper desiderio
 absentis afficeretur alter. Erat noster Vir
 perpaucorum hominum, amicis tamen de-
 ditissimus, quibus se communicabat plane
 non modo consilio, sed etiam re, ut tali
 amico privatus largam dolendi lugendique
 materiam habiturus videare. Domi erat so-
 brie elegans, nec morose religiosus, sed com-
 primebat omnem speciem & splendorem,
 malebatque esse, quam videri, Theologus.
 In congressibus moderatus & lenis, ut et-
 iam duriusculos conciliaret sibi, quorum
 tamen non appetebat familiaritates, sed ca-
 piebatur facilibus naturis & inigenua fide, et-
 iam si alia consuetudinis invitamenta abes-
 sent. Ingenia æstimabat non ex garritu,
 sed ex nisu ad altiora, putabatque, nisi ex
 tuo ad arcem eruditionis exornandam ali-
 quid contulisses, infelicem operam in stu-
 dio posuisse. Quid enim illa millies repe-
 tita, inquebat, sibi volunt, nisi ut pro so-
 lidis cibus contrita tantum alieno ore su-
 mas? unde etiam fastidium in litteris nunc
 oriri, haud vane augurabatur. In Colle-
 giis urgebat studium linguarum, & moram
 trahebat in fundamentis, donec videret,
 non modo quo impetus ingenii duceret,
 sed etiam, quo favor inclinaret, ut reli-
 qua

qua usu potius & exercitatione, quam intentione mentis & ingenii firmo muro imponeres. In Ecclesia prius docebat vita, quam oratione, officiaque Christiani celebrabat nulla affectatione aut ambitu, nullo etiam lenocinio verborum, sed rebus malebat inhaerere, quam verbis, contentionemque addebat animo parem, sed corpusculo ejus nimiam, ut etiam extrema sibi festinasse nimio concionandi labore nonnullis videretur. Ita sui negligens & alieni commodi promotor, consilio amicorum tamen hortensi studio nonnihil vacabat, quod etiam saluberrimum corpori experiebatur, & æstivis diebus in suburbano vel libris vel amicis horulam impendebat, flosculis ibi magis intentus, quam in sermonibus suis. Legebat tamen & Livium ibi, Curtium, Columellam aut alium rei rusticæ auctorem, quibus libris alebat non tam otium, quam stilum, quo utebatur gravi & digno re Theologica. De illustri genere suo sapiebat modice, nihil inflatus ista fortunæ illecebra, quam multi hoc tempore magno redimerent, iste in minimis putabat, cumque aliquando Henrici Clutini Oiselli, quem Thuanus citat lib. 85. ad A. 1582. Romæ Oratorem Regium, & Mezerayus inter cetera amplissima elogia appellat *Henry de Clutin Loisel, Conseiller d'Etat, homme de plume & d'épée*, qui præter Romam etiam
in

in Hispania & Germania legatum egerat, meminisset, nihil inanibus motus est, sed professionem sacri studii, qua solus omnium Ouseeliorum insignitus esset, his gloriolis multum præferebat. Valetudinis erat languidæ & irritabilis valde ad omnem injuriam venti coelive, quod tamen magis ille sentiebat, quam alii observabant: imò sæpe pro suggesto dixit, cum alii se lecto daturi fuissent. Ex sedentaria vita collegerat pravos humores, qui deinceps se in sudores solverant statos & nocturnos, & in vitio viscerum abdominis colliquativos, & ita complures menses corpusculum exederant, ut sæpe numero languores sentiret. Ex his lenta febris visceralis orta cum asthma sicco & sub finem ostendit se mictus cruentus: quæ symptomata omnia tandem in diarrhoeam colliquativam cum ægri interitu terminabantur, qui sequebatur nudius quintus inter 9. & 10. matutinas horas, & quæ sequuntur P. P. d.

16. Aprilis a. 1724.

FR. BURMANNI, F.
HADR. RELANDI,
&
C. VTRINGAE,

ad

Phil. OUSEELIUM,
Epistolæ.

Viro Doctissimo, Plurimum Reverendo,
PHILIPPO OUSEEL,
S. P. D. FR. BURMANNUS.

Multum me beasti, mi Ouseli, munere literario, sane quam utilissimo & elaboratissimo. Uno spiritu, simul ut accepi, avidissime perlegi. Miratus sum Herculeum laborem, quem in perquirendis & digerendis omnibus minutis sustinuisti, & si quid video, feliciter superasti. Methodum vero, qua Distinctionum gradus singulos disponis, non possum non probare, & Wasmuthiana, cui me assueveram, multo commodiorem invenio. Multum nos progressos puto in eruendo & limando Spiritus S. sensu, quum is
sem-

semper multo pragnantior exeat & concinnior, si Accentus Duces sequamur. Feci ejus rei periculum in multis Psalmis, & vix usquam cessitare coactus sum. Id unum vero, quod pace tua dixerim, in Tabulis tuis expertus sum incommodi, quod, quum adscriptum non esset, in qua voce haberent distinctivi quique minores, quotove loco a majori, cujus imperio subsunt, abesse cogantur, quave sit ratio cur alii conjunctivi aliis locis adhiberentur, continuo mihi ad ipsas Regulas recurrendum esset, si quid horum scire desiderarem. Itaque statim mihi has Tabulas, quas Psalterio meo allevi, conficiendas putavi, id quod jam olim in Wasmuthiana Methodo feceram. Harum ope, uno statim intuitu patet, quo loco quoque casu tum Distinctivi omnes tum Conjunctivi adhiberi queant; ut nunquam ad ipsas regulas regressu opus sit. Eas ad Te mitto, jam in usum, ut vides, redactas, ut videas an ad mentem tuam singula expresse- rim. De quo quid sentias, fac me quam primum certio- rem, ubi eas remittes. In Conjunctivis aliquam videor quandoque discrepantiam reperisse, ut fere dubitem, an tantum dua, non plures voces, per conjunctivos cum suo Distinctivo conjungi queant; saepe enim tres voces tam arte inter se coherere visa sunt, ut ubi dividenda sint vix invenias. Id quod in Minimis praecipue obtinet. At de his accuratius cogitan- dum puto. Forte etiam Conjunctivi alii praeter eos, quos accuratissime enotasti, occurrant. Et

memini me inter legendum aliquos notasse. Hos
 duos certe nusquam reperire in ulla tuarum Re-
 gularum potui. Ut, in Ditione Munach Mu-
 nachati de quo pag. 88. ubi in 3. V. (id
 est 3. Voce) habes Mahpach, vel cum, vel si-
 ne Psik, reperi etiam in eadem voce 3. Munach
 Psikatum, Ps. LXXVIII. v. 24. **וַיִּמְטְרוּ
 עֲלֵיהֶם טֶן**

Et in ditione טֶן Schalschelet, p. 95. pro seruo mu-
 nach adhibitum reperi Merca, Ps. LXXXIX. 2.
לָרֶר וְלָר

Hac vespera etiam e sacris domum reversus
 Minimum alium a tuo reperisse videor, nempe
 Merca voce 3, in ditione טֶן Pazer, ad Pag.
 92. 93. Ps. XC. 10. **בָּהֶם שְׁבָעוּם שְׁנָה**

Id vero in primis rogatum velim, an inveniri
 putes rationem posse, cur hi accentus potius quam
 alii adhibeantur, prout a Distinctivo longius
 propiusve absint, aut ipsi Distinctivi syllabarum
 quantitate laborent, aut ne laborent. Id etiam
 saepe mecum quaesivi, cur Metrici Accentus tan-

tum in Libris אֲמָר¹¹ adhibeantur, quum in aliis
 Canticis, ut puta, Mosis, Debora, quin & in
 iisdem Psalmis, qui libris Prosaicis sunt inserti,
 nusquam compareant. Tu forte hac & plura alia,
 ceu alter Oedipus, facillime expedies, Vale,
 Vir Doctissime, & me, ut facis, ama. Rev.
 Collegas, quos mihi notos putas, ut & Clar. Pro-
 fessores, meo nomine diligenter saluta. D. Amst.
 A. D. IX. Kal. Mart. 610 10 cc XIV.

Viro Reverendo atque Eruditissimo,
PHILIPPO OUSEEL,
HADRIANUS RELANDUS S.

D*In est quod amaverim probaverimque ardorem illum animi tui singularem quo te ferri videbam ad illustrandas literas nostras. Latatus quoque sum vehementer quum te urbs vicina sibi vindicavit, & te hoc agere rescirem ut doctrina accentuum novo lumine perfunderetur. Nunc ipsum opus mittis quod mihi sane est gratissimum, & quod signum sit amoris tui, & quod fructum inde reediturum uberrimum non dubitem ad rem publicam literariam. Videris mihi magna cura atque industria perfecisse quod constitueras, & quamvis per singula ire mihi non licuerit per negotia quibus distrahor, tamen ea que legi, faciunt ut te horter maximo opere, ut prosaicam quoque accentuationem magno animo adgrediaris, Deumque rogem ut perficias. Vale, Vir Eruditissime & me ama. Trajecti Batavorum. a. d. IV. Mart. cIs Is cc XIV.*

Pl. Reverendo Doctissimoque Viro,
PHILIPPO OUSEELIO,
Symmystæ & Fratri in Domino Con-
junctissimo,
S. D. C. VITRINGA.

I*ntroductionem tuam ad accentuationem Hebræorum metricam cum humanissimis literis*
 Class. VIII. Fasc. V. ○○○ *tuis*

tuis ante hasce hebdomadas, lubens gratusque a
 tua manu accepi, Vir Clarissime. Avide inspe-
 xi in librum tuum, cujus expectatio me ab ali-
 quo tempore tenuerat; evolvi, & quatenus e re
 mea erat, legi; & consideravi quoque Tabulam
 Accentuationis Orationis soluta, quam libro tuo,
 alterius tractatus preludium, adjunxisti. E-
 ram autem jam tum paratus iudicium meum de
 hoc tuo opere ad te perscribere: sed cum prope-
 diem mihi nascituram viderem occasionem com-
 modissimam, qua responsoria mea ad te trans-
 ferrentur; & ego mihi, ut res est, persuaderem
 ne neque de voluntate in te mea, neque de iudi-
 cio equo, dubitandi habere rationem: si ea res
 tibi cura fuerit: responsum huc usque distuli.
 Certe fecisti operae pretium, mi Onseli, in ar-
 gumento utilissimo docte ac perite versatus. Quod
 ad utilitatem tue commentationis attinet: nihil
 hic a te dissideo, licet accentibus Hebraeorum
 eandem non tribuam originem antiquitatemque,
 quam iis vindicare niteris in erudita tua Prae-
 fatione. Masoretharum enim omnis labor & cu-
 ra circa Scripturam S. antiqui Foederis tum
 punctis vocalibus instruendam, tum in cola &
 semicola minutasque partes alias distinguendam,
 a me in magno habetur pretio. Fuerunt docti &
 sapientes Viri quocumque etiam tempore vixe-
 rint, & in hoc negotium studium suum impen-
 derint. Sed ipsum hoc operosissimum & accura-
 tissimum studium in tot & tam diversi generis no-
 tulis consinnandis, & singulis membris vel moris

in lectione orationis observandis, tanta subtilitate distinguendis, & in tot scindendis partes, alienissimum videtur a more antiquorum temporum, quibus necessaria etiam distinctionum precepta a gentibus etiam cultioribus in scribendo neglecta sunt. Otiosorum hominum, Grammaticae doctorum, & in Scripturae S. lectione, meditatione, & intellectu literali praeclare exercitorum, hic videtur fuisse labor. Graeci & Latini, quando tandem accentibus uti inceperunt, illi quidem tribus, hi quatuor notulis omni distinguenda orationis officio se rite defungi existimaverunt; & verum est, eas hic posse sufficere. Sed Masoretha quanto à *ἄνευ Βέσηρον* hoc opus exequuti sunt, quantaque diligentia majore, & quidem distinctionem orationis differentibus signis adstringendo in oratione soluta ac ligata! Nec tamen id scribo, ut te a sententia tua abducam; sed ut meam ne ignorares; cetera erga hunc laborem sapientium antiquorum concorde tecum sensu. Commentatio autem tua me valde delectavit, quod precepta tua de Accentibus, eorumque distinctionibus, & subdistinctionibus, usque gemino tam perspicue, dilucide & accurate digesseris, ut haud dubie plus luminis affuderis huic materia, quam qui ante te in ea elaborarunt. Quare omnino te hortor, ut consilium de Accentuatione Prosaica, cujus jam exhibuisti tabulam & specimen optimum, quanto ocius, pro commodo tuo, exequaris; nihil ambigens, quin hoc ipso rem literariam in signi merito tibi sis obstricturus. Tantum

desideravi in opere tuo unum caput, quod utilitatem accurata & subtilis accentuationis Masorethica demonstret & exemplis illustret. Mirantur, qui accentuationem Hebraeorum expendunt, cur illi subinde & saepius subjecta a predicatis suis, vel etiam ab adjunctis suis, distinguant, ibique moram nos facere aliquam jubeant, ubi nulla facienda videtur. Erat autem illud demonstrandum ex aliquibus speciminibus, illos id nunquam agere absque ratione summa & emphasi: ut vere non agunt. De quo, si sic videatur, cogitabis. Ipse jam de eo monuisti in Praefatione, & forte id posteriori parti operis reservasti. Vellem etiam, ut ubi sententia Latina Hebraeis subjiciuntur, quantum pote, id fiat ad imitationem accentuationis Hebraeae: quod in plerisque, non in omnibus, te observasse video. Sunt enim sententiae quae per commata tantum Latini usus distinguuntur, ubi majores distinctivi occurrunt in Hebraea oratione. Attingii quoque quod nullam viderem fieri mentionem inter eos, qui hoc studium cum laude excoluerunt, (etsi Notularum Vocalium doctrinam magis illustravit, quam accentualem) mirabar; sed ob ipsam illam rationem mirari desii. De usu accentuum musico, si non fallor, nihil distincte mones: & meo quidem iudicio, recte. Lectio enim Hebraeorum, qualis in Synagogis instituitur, est quaedam cantillatio, ad quam, si rite fiat, instituta est & composita accentuatio. Ergo quid restat, quam ut tibi pro acceptissimo hoc munere, simul pro summa, qua in me usus

usus es & alias uti soles humanitate & affectu,
 summas agam grates, Deum veneratus, ut opus
 tuum operisque auctorem benedictione sua pro voto
 tuo ubertim prosequatur, Teque sic instruat sua
 gratia & ornet, ut longum Ecclesie & rei litera-
 ria, prospero rerum tuarum statu, plurimum pro-
 fis. Vale, Vir Eruditissime, & tui amantissi-
 mum ama. Scripsi Franckera, a. d. April. II,
 cIdo Idcc XIV.

P. S. Qui has ad te fert, vel curat, Vir Rev.
 est Filius meus Campegius, jam rite defunctus
 examine ad Docturam Theologicam, si Dominus
 velit, suo tempore obtinendam. Moram aliquam
 apud Vos trahet ut gustum capiat institutio-
 num publicarum; quem ut Tibi com-
 mendatum habeas, obnixè rogo.

Ἐπίπρωο ἐν τῷ Κυρίῳ!

A. M. GÖRINGII
Epistola

Testimoniorum de JOHANNA
IIX. Papissa Quaternionem qua-
tuor annorum intervallo ab Ao.

1497 - - - 1500.

Romæ editorum continens.

THEODORO HASAEO
Gratiam & Pacem!

Recensio Tua, Vir plurimum reveren-
de, perrari cujusdam libri (a) quam
fasciculo III. pag. 526. sqq. Tom. IIX.
Biblioth. Brem. inseruisti, magnam
mihi non tantum creavit volupta-
tem, sed ansam quoque præbuit, ut has ad Te
dare literas, simulque minorem Tuam pro-
positionem pag. 530. confirmare voluerim.
Duo autem continebit hæc mea epistola;
quorum alterum est relatio de alio ejusdem
fere temporis libro Romæ impresso; alte-
rum

(a) Talis libri, Germanico quoque idiomate A. 1500.
Romæ sub auspiciis Alexandri VI. impressi exem-
plar a se quoque possideri mihi nuper indicavit Theo-
logus meritis pariter ac annis gravissimus Jo. Jac.
HOTTINGERUS. T. d. H.

rum autem sunt animadversiones quædam inde factæ.

I. Auctor libri mei est in omnibus fere libris, tractatibus & dissertationibus, de Johanna IIX. Papissa agentibus citatus Stephanus *Planckius*, Pataviensis, cujus nomen magis notum est, quam liber & verba. Sed en Tibi libri mei finem:

Impressum Roma per Magistrum Stephanum Planck Patavien. An. M. CCCC. XCVII. Die vero, VI. Mensis Novembris. Sedente Alexandro VI. pontifice maximo Anno ejus sexto.

Deest titulus libri, per cujus incuriam nescio. Quia autem partim Alexandr. VI. insignia in fronte extantia, partim contenta (e.g. de *Antiquitate & Origine Urbis Romæ*, de Romulo Regibusque sequentibus - - - De Constantini M. Baptismo, de donatione Constantini M. de Ecclesiis, reliquiis & stationibus in urbe Roma &c.) sunt eadem, quæ libri Tui Germanici inscriptio indicat pag. 526. 527. Unum eundemque esse librum arbitror; posteriores autem editiones, ut fit (& in hujusmodi libellis, qui de Mirabilibus Romæ agunt, imprimis factum est quod quatuor aliæ sed recentiores editiones quas ego possideo annis nimir: 1589. 1615. 1627. 1650. Romæ impressæ probant) paululum esse vel mutatas vel auctas vel emendatas, & quasdam a Ty-

pographis Germanicis in Germanicam linguam esse translatas.

Extant in hoc libro de Johanna IX. Papissa plag. col. 7. verba a me hucusque nullibi lecta sequentia: *Item habetur in serie pontificum Romanorum, quod Johannes Anglicus post Leonem sedit annis II. mensibus V. diebus IIII. vacavit sedes mense uno, ut asserit, femina fuit & juvenili habitu ab amasio suo Athenis ducta, in diversis scientiis tamen perfecit ut Rome tandem legeret triennium & magnos magistros discipulos haberet: nec aliquis sibi par ibidem inveniret: magna itaque scientiæ & opinionis: in Papam concorditer eligitur: sed in papatu per familiarem impregnatur verum tempus partus ignorans, de Sancto Petro in lateranum tendens angustiata peperit inter Coliseum & Sanctum Clementem & ibidem ut dicitur mortua fuit. Hanc viam quam Papa obliquat, dicitur a plerisque quod propter detestationem facti hoc fiat. Nec ponitur in Catalogo pontificum propter mulierum sexum quantum ad hanc difformitatem.*

Hæc sunt Planckii verba.

II. Sequuntur nunc animadversiones quædam, quarum prima est: (1.) Auctoris mei nomen a nullo, quorum scripta de Johanna IX. ego vidi, recte scriptum esse. Ab omnibus fere, quos legi, vocatur Stephanus Blanck, ab aliis Stephanus Banck (sicut etiam

Te

Te, Vir Doctissime p. 531. seductum esse
 puto; quis enim omnes libros habere potest)
 a nullo autem Planck. Differentiam mino-
 ris esse momenti, fateor; sed cur ejus nomi-
 nis literas mutare velimus, non video. (2.)
 majoris autem momenti est, quod secundo
 observandum esse puto: citasse nimirum
 Egbertum *Grimmium*, in libro de Johanna
 IIX, vel *Pauselicke Heiligkeit genomen uit meer
 als Hondert Paapse Scribenten &c.* Vefal. 1635.
 4. impresso, hunc Stephanum Blanck (recti-
 us Planck) pag. 238, verbaque ejus adduxisse;
 sed *Grimmium* non tantum aliam hujus libri
 habuisse editionem A. nim. 1500. Rom. im-
 pressam, sed etiam alia & quidem prolixio-
 ra de Johan. IIX. afferre verba. Sic enim
 in *Grimmii* editione loquitur Planckius:

„Ad Sanctum Clementem, quoddam mo-
 „nasterium - - - In eodem deinde mo-
 „nasterio itur ad parvum quoddam facel-
 „lum intra Colosæum & sanctum Clemen-
 „tem, illic collapsum situm est templum, in
 „quo moriebatur scœmina, quæ Papa fuerat
 „(NB. Hic in meæ editionis verbis supra al-
 „latis addidit, Planckius, *ut dicitur*, quasi de
 „re dubia & incerta locutus fuisset; sed in
 „*Grimmii* editione hæc omittuntur, se rem
 „non dubiam, sed certam scribere indicans)
 „illa parturiebat infantem, & ab Angelo
 „DEI interrogabatur, an in æternum per-
 „ire mallet, vel publice coram mundo

„confundi? sed illa, ne in æternum pereun-
 „dum foret, elegit opprobrium confusio-
 „nis. Igitur cum more papali cum omni-
 „bus Cardinalibus chorum ageret solen-
 „nem, & plurimorum hominum stipante
 „caterva enixa est foetum juxta templum.
 „Et ibi loci adhuc recumbit saxum quod-
 „dam referens sculptam ipsius & infantis
 „ejus effigiem.

Duas itaque nunc habemus Steph. Planckii
 editiones latinas, alteram Rom. 1497. & alte-
 ram ibidem 1500. impress. Accedit liber Tuus
 Germanicus Rom. 1499. editus, quibus ad-
 jungendus est alius Germanicus libellus a Te
 pag 528. citatus pariterque Rom. 1500. im-
 pressus. Intervallo itaque annorum qua-
 tuor, quatuor habemus libros Romæ editos
 & ad minimum duos cum insignibus & privi-
 legiis Imperatoris & Papæ Alexand. VI. (de
 aliis duobus enim hanc circumstantiam asse-
 rere non possum, probabiliter tamen, cre-
 derem) qui quatruplici satisque gravi testi-
 monio de Johanna IX. Papissa Historiam
 confirmant. Verborum autem in his libris
 mutatio, librum alium alio reddit firmiorem.
 En Tibi, Vir venerande atque Doctissime,
 Quaternionem testimoniorum Romæ armis
 1497. 1499. 1500. editorum!

(3.) Tertio quoad meam Planckii editio-
 nem tum prima tum ultima supra allata ver-
 ba in primis observanda esse puto. (a) In pri-
 mis

his verbis notanter dicit Planckius: *Item habetur in serie Pontificum - - ut asseritur femina fuit.* Quæ verba non oscitantem lectorem docent: Jam Ao. 1497. Romæ Johannam IIX. Papissam in serie Pontificum non tantum extitisse, sed jam tunc temporis etiam Romæ & ipsum Papam & alios hanc Historiam credidisse, imo asseruisse (i. e. adstupentibus rem sane stupendam extra aleam tamen positam affirmavisse.) Addo non credendum esse; hanc historiam quatuor annorum intervallo quartum obiter scriptam vel impressam esse, & hoc quidem non in levibus, nugatoriisque libellis, sed de rebus maxime seriis, ut de mirabilibus Romæ, de Ecclesiis, de sanctis, de reliquiis &c. agentibus; vel tunc temporis Romæ omnes omnino homines intus dormivisse, talemque historiam Sedi Apostolicæ tam criminiosam susque deque habuisse: quæ omnia non contra Pontificios tantum, sed contra eorum Parasitos etiam aliorumque doctam protervitatem quidvis vel affirmandi vel negandi bene notanda sunt.

(6) Ultima autem Planckii verba: *Nec ponitur in Catalogo Pontificum propter mulierum sexum quantum ad hanc difformitatem;* nos docent: jam Ao. 1497. Johannam IIX. Papissam in quorundam Pontificum catalogo non extitisse: id quod contra aliam Pontificiorum objectionem notandum est, qui ex
ejus.

ejusmodi Pontificum Catalogis, Johannam
 IIX. Papissam totam esse fabellam, probare
 conantur. (b) Quia autem jam An. 1497.
 1499.

(b) Insigne adhuc de Johanna Papissa aliis in hanc rem
 nondum notatum testimonium exstat in Hermanni
 KORNARI Chronico, (de quo nuper egregie
 commentatus est, Clar. Jo. Henr. SEELENIUS in
 Selectis Literariis diff. III.) apud ECCARDIUM in
 corpore Historico medii aevi T. II. p. 442. Ipsa ver-
 ba, quod & ibi exstant, & à Doctissimo Seelenio
 l. c. pag. 88. repetita sunt, non adduco. Moneo
 tantum ab eo rationem afferri, ob quam in Catalo-
 go Pontificum non illius injicitur mentio, cum ita
 scribit. *Sed sibi tempus & locus pontificatus non
 adscribitur, nec Catalogo summorum Pontificum anno-
 tatur, eo quod ob sexum femineum characteris ordinis
 sacri hujuscunq̄ capax non fuerit, nec promotionis
 talis dignitatis.* Quin & notanda sunt verba, qui-
 bus illam narrationem claudit; *De hac muliere tam
 fraudulenter Papatum intrante HINRICUS de HER-
 VORDIA nullam in suis atatibus facit mentionem,
 ne forte seculares literas scientes scandalizarentur le-
 gendo talem contigisse errorem in Ecclesia DEI, qua
 spiritu sancto predicatur regi & dirigi a clericis & Sa-
 cerdotibus.* Ex quibus hauriri astatim potest, quid
 responderi illis oporteat, qui propter omissam vel
 in indice Paparum vel in historicorum nonnullor-
 rum scriptis Johanae Papissae mentionem, totam
 de illa Historiam infitiandam esse existimant. Addo
 & alterum Martini le Franc sive Francii itidem
 saeculi XV. scriptoris, praepositi & Canonici ec-
 clesiae Lausanensis, qui in libro *le Champion des Da-
 mes* dicto, Parisiis 1530. impresso pag. 335. non
 pauca de Johanna Papissa refert, ex quibus excer-
 pta exhibet Casimirus Oudinus in supplementis de
 script. Eccles. Tom. III pag. 2464. T. d. H.

1499. 1500. (de antiquioribus enim seculis & annis nunc non loquimur) nec Papa nec alii ob quorundam Catalogorum silentium Historiam de Johanna IIX. pro fabula habuerunt, sed eam potius in aliis certe non minoris momenti scriptis & asseruerunt & commemorarunt, non video, quo jure Historiam hanc pro fabula habere nobis quis obtrudere possit? Certe homines ante nos omnes aut stipites aut lapides fuisse, nullus nobis facile persuadebit.

Cæterum placent mihi verba Doctiss. Auctoris, iisque subscribo, quæ pag. 518. hujus Bibliothecæ lego: *Res omnis fere huc redit ad stabilienda testimonia scriptorum vetustissimorum, qui hujus Historie mentionem fecerunt.* Sed quod ad vetustissimorum scriptorum testimonia stabilienda spectat; sunt qui veterum testimonia partim infirmant, partim plane rejiciunt; & sunt qui in ea stabilienda omnem laborem infumserunt: & non defunt denique, qui rem in medio relinquunt. Ne patientia tua, Vir Eruditissime, abutar, multus in hujus Historiæ disquisitione esse nolo, sed concede quæso, ut dictis data hac occasione tria adhuc verba addam.

Quod istos attinet, qui veterum testimonia vel infirmant vel plane rejiciunt, non nescis, Vir Venerande, quantopere Pontificii aliique ea labefactare, sugillare atque repellere annitantur, inter quos Doctis no-

Class. VIII. Fasc. V. Ppp tiffi-

tissimus est Blondellus. Dat nobis de hujus libri fati & materia brevem, sed lectu dignam relationem BAILE *Dictionaire Historique Critique*. Defendit inter alios Blondellum contra Maresium Anonymus quidam in libello sub Titulo: *Viri Docti Anonymi judicium de S. M. Johanna Papissa restituta Au. 1703. 8. sine loco*. Lectu dignus est hic libellus; sed, quod Maresium fungum, se autem hominem esse, putet Auctor, id mihi non probatur. Satis acute vidit Auctor; sed miror eum Maresii verba in libro suo de Johanna Papissa restituta pag. 323. non vidisse, in quibus Maresius testatur: Lutetiae in Bibliotheca regia asservari hucusque MSCtum Anastasii Bibliothecarii Gregorii IV. in quo ipsemet oculis suis historiam de Johanna Papissa vidisset atque legisset. (c) Sed hic cœcutit Auctor. Mittimus itaque eum aliosque inprimis autem Pontificiorum quorundam dicacitatem scurrilem Viro erudito indignam.

Quod autem ad illos qui veterum testimonia hucusque stabiliverunt, cum Doctiff. Gisb. Voëtio sentio, in Spicilegio ad disputationem historicam de Papissa Johanna dicente,

(c) Quae ad illum locum Anastasii pertinent prolixè discussit Casimirus OUDINUS in supplem. de Script. Eccles. T. II. p. 250. - - - 307. in diff. de operibus Anastasii Romanae Ecclesiae Bibliothecarii. T. d. H.

cente: *Questionem de hac Papissa tam abunde esse ventilatam, ut magis copia, quam inopia laborare videamur.* Addit Voetius Catalogum & negantium & affirmantium satis longum. Acta itaque agere nolumus. Cæterum lectu non indigna est Joh. Dan. ARTOPÆI Disputatio de Johanna IIX. Papissa Lips. 1673. habita. Hac disputatione prolixior est Rudolphi Capelle Doctiff. Hamburg. Historici Discursus Historicus de Johanna IIX. Papissa, Gies. 1655. 4. editus. (d) Sed obstinatus incredulus, quæ non respuit?

Quod ad hos denique spectet, qui rem in medio relinquere malunt, subest causa vel modestia (e) vel Scepticismus historicus. Sed me brevem esse oportet.

Ppp 2

Me

(d) Sed ipsum hunc Capellum, qui Hamburgi Floquentiana & literas humaniores docuit, & d. 20. Apr. 1684. obiit, deinceps de ea re dubitasse, ex Testimonio viri summi, fideque dignissimi scio. T.d.H.

(e) Tutius illi sane agunt, & circumspiciunt. Nec me pudet in illorum numero nomen profiteri meum. Utrique enim ea hæc meditati severius occurrunt, quæ animum dubium sane atque ita ancipitem reddunt, ut paullo momento huc illuc impellatur. Certe ad ea argumenta, quæ ex Chronologia, ex silentio Graecorum scriptorum, imprimis Photii, imo ex pertinaci omnium scriptorum per sæcula plusquam tria silentio, (neque enim testimonium, quod sine omni dubitatione antiquius esset, productum est adhuc) afferre solent illi, qui rem omnem negandam existimant, à τοῖς ἐξ ἐναντίας non

Me tandem quod attinet, ingenue fa-
 teor eò me inclinare, ut veterum relatio-
 nem de Johanna IIX. Papissa veram potius
 quam fabulosam esse credam. Minime qui-
 dem sentio, vel Protestantium salutem vel
 Pontificiorum interitum a sola hujus histo-
 riæ veritate aut falsitate pendere; novi
 etiam magnum scriptorum numerum nu-
 gis pondus non addere; & permiram,
 imò vix credibilem esse historiam ipse
 video. Illud tamen mihi probari non potest,
 quod ex multo incertioribus quibusdam
 conjecturis levibusque causis & veterum
 testimonia & recentiorum stabilimenta non
 satis examinentur, multo minus destruan-
 tur, sed pro auctoritate potius & imperio
 quasi vel rejiciantur, vel in ludibria vertan-
 tur, quasi sic res optime esset gesta. De levi-
 bus hanc historiam negandi quorundam
 causis legi potest supra citatus Rudolph. *Ca-
 pelle* in Tractatu suo citato §. 4. 5. --- 9. sqq.
 pag. 4. sqq. Sic, quoque quæstionem non deci-
 dit opinio: incredibile esse, homines tunc
 temporis tam bardos stupidos aut fatuos fuis-
 se,

non plane satisfactum esse puto. Quanquam &
 id non dissimulare velim, non parum mihi nego-
 tium faceffere, quod nulla adhuc verisimilis con-
 jectura de Origine tam commemorabilis, tam famo-
 sæ, ubique dispersæ, atque ante duos annorum
 centenarios tantum non in omnium animis invete-
 ratae fabulae, si fabula est, in medium producta fuit.

T. d. H.

se, quin fraudem olfecissent. Finguntur veteres a quibusdam nunc bardi, nunc arguti, prout iis libido est. Bardi sunt iis veteres, quando scriptis hanc historiam inseruerunt, asseruerunt & affirmarunt; sed ad fraudem satis acuti fuerunt, quando iis a Johanna Papissa egregie imponi potuisse, incredibile videtur hanc historiam negantibus. Surdis fabulam narrare noli.

Habes itaque, Vir Venerande, metum testimoniorum de Johanna Papissa Quaternionem (f) Hunc omni exceptione majorem qui-

(f) Subjiciam ad ea, quae hic & aliquoties de Papa femina spicilegii loco apposui, per scriptorum, nondum editorum, quorum unum illam historiam asserere, alterum destruere voluit. Prioris auctor est Ill. *Leibnitius*. J. G. ECCARDUS in praefatione praemissa ejus collectaneis Etymologicis pag. 61. ex ejus scheda commemorat illum Annalibus Brunsvicensibus, qui utinam! tandem aliquando lucem adspicerent, inserturum, dissertatiunculam, inscriptam, FLORES SPARSOS IN TUMULUM PAPISSAE, *ubi novis illatis in Historiam luminibus fabula illa explodenda sit, qua solis hactenus tenebris Chronologicis se tuita sit.* Alter debetur facultati Theologicae Wittenbergensium. Johannes enim MULLERUS, Theologus quondam Hamburgensis solidus, in *Anti Jansenii* sui, oppositi non *Cornelio*, sed *Nicolao JANSENIO*, Belgae, ordinis praedicatorum monacho, & sedis Romanae missionario, (de quo libro vide BAILLETI *les satyres personnelles, qui portent le titre d' Anti T. I. p. 185. sqq.*) dedicatione scribit *cum Nobilis quidam Pontificius Historiae de Job. Papissa veritatem negaret, & questio haec*
ab

quidem non habeo, non minimi tamen ad
minorem Tuam propositionem confir-
mandam momenti esse puto. Vale.

Dabam Mindæ d. 16. Maji.

1726.

—§§§—§§§—§§§—§§§—§§§—§§§—§§§—§§§—

XII.

De voce obsoleta

Germanica

SINWEL

observatio. (a)

S *Inwel* significat *rotundum, teres*. In
Bibliis antiquis *Augustanis* 3. Reg. VII.
aliquoties legitur, ubi Vulg. habet ro-
tundum. *Biblia Tigurina* utuntur sub-
stantivo *Sinwaly*/reddentes 2. Chron.

IV.

*ab altera parte ad Academiam Wittebergensem de-
volveretur, prolixam & nervosam à Rev. Collegio
Theologico adornatam fuisse demonstrationem, qua illi-
us veritas ex antiquissimis authoribus asserta sit, ad-
ditque se illud scriptum utile & necessarium vidisse
asservatum in celebri Abbatia Lunenburgensi ad D.
Michaelis, judicatque pariter, si labor ille optimus
excuderetur Typis, id magna cum veritatis assertionem,
& ingenti Papatus ignominia & confusione futurum.*
T. d. H.

(a) Hanc ex occasione ejus quod supra p. 534. legi-
tur, mecum Vir Doctissimus Jo. Frid. a STADE,
Ecclesiae hujus urbis Cathedralis V. D. M. commu-
nicavit. T. d. H.

IV. 12. Die zwei Säulen mit Rande oder
 Einwärts, quod Lutherus expresit: die zwei
 Säulen mit den Säuchen. *Willeramus* p.
 102. bis ponit adjectivum *Sinowolde*, quam
 vocem haud intellectam Belgicus interpres
 priori loco retinuit. Quare *Fr. Junius* Ob-
 servat. in *Will.* p. 156. (b) haec annotavit:
 „Nescio, quid sibi velit illud *Sinowold* in Glos-
 „sis Houteni, propterea petii vocis hujus in-
 „terpretationem ex Anglo-Saxonum idioma-
 „te. Siquidem *Sinewealt* in *Ælfrici Gram-*
 „matica exponitur *teres*. &c. Hactenus *Junius*.
 Eandem vocem Anglo-Saxonicam cum aliis
 cognatis habet in vocabulario *Th. Benson*,
 & interpretatur *rotundus, versatilis, teres*. *Ju-*
nius in *Glossario Goth.* p. 246. allegat ex
 MS. HS. vocem *Sonwald*, redditque eam
teres. Huc etiam sine dubio pertinet, quod
 est in MS. *Glossar. A. S. Lindenbr.* *Sionwalt*,
torosa, & in *Gloss. Theot. Florent.* *teretur*,
Sunwelba. Cæterum Germanica vox *Sin-*
wel, *Synwell* in antiquis libris haud raro oc-
 curit, ut in carmine von *Ditrich von Bern*
 pag.

(b) In nuperrima *Willeramii* editione *Schilteriana*
 vide pag. 44. Ubi *Jo. Georgius SCHERTZIUS*,
 cui lingua Germanica multum debet imposterum,
 allegat *Tuingeri* vocabul. Germ. MSS. qui *Sine-*
vvel explicet *teres* & aliud Vocab. Manusc. lat.
 in quo Ciclas sit *Sinvvvelkeit*. Pariter *Anonymi* Vocab.
 Msc. habet. *Spericus* (i. e. *Sphaericus*) *Schibe-*
lecht vel *rund* vel *Sinvvvel*. T. d. H.

pag. 15. & 28. ubi legitur : Als ein Apffel
gar Sinnwel. Item in *M. Albrechts Ovidio*
Germ. fol. 52. & *Sebast. Francke Proverb.*
Germ. pag. 1. fol. 105. & 107. Quo etiam
spectat, quod in *Historia Melusinae*, à *Tenzelio*
in Colloq. menstr. A. 1692. p. 76. citata,
occurrit : *An der weite und sinbele* ubi sub-
stantivè positum est. In rythmis Saxonis
MStis, Stadæ olim compositis, & plus quam
duorum seculorum antiquitatem redolenti-
bus ita dicitur : *Stoke de sint bret, de senwolt*
weren by der olden det, i. e. baculos, qui
sunt lati, qui teretes erant antiquo
tempore.

QUAESTIO.

Qua ratione ἐν ἀριθμοῖς, quod NUM. Cap.
XXII. commatibus 12, 20, 22. occurrit,
tollitur commodissime?